DE

FACETIIS IURIDICIS

APUD SCRIPTORES LATINOS

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

A. H. BECKER

FACULTATIS PARISIENSIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD LECÈNE, OUDIN ET SOC., BIBLIOPOLAS

15, VIA DICTA DE CLUNY 15

1896

DE

FACETIIS IURIDICIS

APUD SCRIPTORES LATINOS

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

A. H. BECKER

FACULTATIS PARISIENSIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD LECÈNE, OUDIN ET SOC., BIBLIOPOLAS

15, VIA DICTA DE CLUNY, 15

1896

DOCTISSIMO

A. BOUCHÉ-LECLERCQ

D. D. D.

INDEX CAPITUM

QUIBUS EDITIONIBUS USUS SIM

Aulus Gellius. *Hertz*, Teubner, 1840.
Cato (Marcus Porcius). *Jordan*, Teubner, 1860.
Catullus. *Lucianus Müller*, Teubner, 1880.
Cicero. *Orelli*, Turici, 1845.
Ennius. *Relliquiæ Wahlen*. Lipsiæ, 1854.
Horatius. *Lucianus Müller*, Teubner, 1895.
Iuvenalis. *Gemoll*, Teubner, 1879.
Lucretius. *Bernays*, Teubner, 1860.
Martialis. *Walther Gilbert*, Teubner, 1890.
Ovidius. *Merkel*, Teubner, 1880.
Persius. *C. F. Hermann*, Teubner, 1884.
Petronius. *Bücheler*, Weidmann, 1862.
Phædrus. *Lucianus Müller*, Teubner, 1881.
Plautus. *Naudet*, Parisiis, 1831.
Plinius Maior. *Janus*, Teubner, 1865.
Plinius Minor. *Keil*, Teubner, 1892.
Propertius. *Lucianus Müller*, Teubner, 1880.
Seneca. *Haase*, Teubner, 1878. Quod ad Tragœdias, *Nisard*, Parisiis, 1844.
Terentius. *Fleckeisen*, Teubner, 1881.
Tibullus. *Lucianus Müller*, Teubner, 1880.
Vergilius. *Benoist*, Parisiis, 1872.

I

QUID SIT QUOD FACETIAS IURIDICAS HIC APPELLAMUS.

Romanorum mentem iure civili quasi refertam fuisse et latinos scriptores ex eo fonte aut verba aut sententias aut translationes haurire esse solitos, non venit in controversiam. Si quis enim vel nugas vel erudita scripta in manibus habuerit, aut carmina vel historias versaverit, aut epigrammata vel orationes introspexerit, statim ille et singulis passibus, dum quælibet latina peragrat, iuridica vocabula inveniet. Qua de causa nostri philologi, qui sexto aut septimo decimo seculo vixerunt, notabiles suas editiones iuridicis dissertationibus abundanter illustrare non dubitaverunt. Recenti quidem tempore, latinos auctores cum qui edunt tum qui legunt paulo sæpius obliviscuntur nullam fere esse in romanis litteris paginam, in qua non liceat, modo naris emunctæ sis, quoddam iuris civilis vestigium, ut ita dicam, subodorari. At quod nostra ætate plerumque et immerito neglectum est, non omnino tamen fuit omissum. Plures hoc in seculo doctique viri exstiterunt qui, romanis scriptoribus studiose dediti, commutatum illud

lumen colligere tentaverunt, quod ius in litteras aut in ius litteræ vicissim infundunt. Anno post C. N. CIↃ IↃ CCCLIII, Benech (1) satirarum scriptores Horatium, Persium, Martialem et Iuvenalem rogabat numquid de iuris civilis mutationibus nos docere possent. Nec non laudandum inceptum : nam ceteris multo clarius scriptis satira morum inconstantiam aperit eoque veterum legum destitutionem et novarum indigentiam perspicue significat. Paulo post, G. de Caqueray (2), cum gallicas Marci Tullii translationes erroribus esse fartas animadvertisset, in hoc navavit operam ut, si quæ apud Ciceronem essent in iuris clientela, planius explicaret. Quo ex libro fructum magnum percipiet quicumque Marci Tullii aut dicta aut sententias penitus percipere studebit. Paucis post annis, E. Henriot « iuridicorum et iudiciariorum veteris Romæ morum » (3) imaginem descripsit : nec non opere in illo, licet solos poetas respiciat, forensem Romani populi vitam diligenti atque etiam opaco interdum penicillo repræsentavit. Neque omittenda est thesis illa quam de Cicerone Iurisconsulto edidit A. Gasquy (4) : eandem scilicet iste quam G. de Caqueray viam ingressus, pauciora quidem sed

(1) *Etudes sur les Classiques latins appliquées au droit civil romain*, Paris et Leipsig, 1853, in-8°.

(2) *Explication des passages de droit privé contenus dans les Œuvres de Cicéron*, Paris, 1857, in-8°.

(3) *Mœurs juridiques et judiciaires de l'ancienne Rome d'après les poètes latins*, 3 vol., Paris, 1865, in-8°.

(4) *Cicéron jurisconsulte*, thèse, Thorin, Paris, 1886, in-8°.

attentius disquisivit, quoniam ea tantummodo respexit quæ Cicero *Pro Quinctio*, *Pro Roscio*, *Pro Cæcina*, *Pro Tullio* dixit. Denique, pœne recenter, duo auctores Romanorum privata instituta exponere tentaverunt (1), apud quos quaque in pagina prisci iuris præcepta cum excerptis principum latinæ linguæ scriptorum locis iisdemque accommodatis coniuncta producuntur : at ego neque laudare neque reprehendere id opusculum velim cuius ipse pars nonnulla fui.

Quod spectat ad has chartas quæ hic et nunc proferuntur, minus late patebit opus quam libri de quibus supra dictum : eodem et multo angustior circumscribitur materia. Neque enim nunc prudentibus in subsidium, quantulum id cumque est, venimus : quo fit ut hoc inter et illorum inceptum multum intersit. Profecto litterata dissertatiuncula hic offertur, qua nihil aliud prætendimus quam ut nunc in fasciculum contextos varii coloris sed odoris eiusdem flores colligamus, quas unusquisque, dum scriptores latinos perambularet, obiter invenire et seligere potuerit. Scilicet hic mere ac simpliciter agitur *de facetiis iuridicis*.

Verum, quid sit quod iuridicas facetias appello, præcise definiam oportet. Quemadmodum, si auctio fiat, emptori venditor auctoritatem præstare debet et veris dictis rem commendare et si quid vitiosum

(1) G. May et H. Becker, *Précis des Institutions du droit privé de Rome*, destiné à l'explication des auteurs latins, Paris, Larose et Forcel, 1892, in-12.

est excipere, sic ego, alio quodam modo auctor, ne quasi cretatum librum exponam aut arte vafra corrumpam lectorem, facetias illas, quæ hac in charta explicabuntur, sincero et atroci stylo describam definiamque necesse est. Iuridicas igitur facetias appello *verba singula aut congregata quibus qui utuntur, dum facete scribere student, iuridicas voces ad res non iuridicas transferunt.*

Illud dicendi genus, illam proprium prudentium sermonem quibusvis argumentis admovendi consuetudinem, tam naturali impetu Romani, quidquid dicere tentabant, usurpaverunt tamque frequenter nos ipsi apud illos nacti sumus ut forsan operæ pretium futurum sit rem in opusculo notandam observare et attentius inspicere. Unum tamen conveniat : iuris civilis censura et institutorum satira et in ipsas res forenses intenti ioci, ac denique quidquid mordacium verborum contra leges suas Latini iactaverunt, hoc ipso temporis articulo prætermittetur. Quæ quidem non trioboli sit materies : immo summi ponderis et studiose plenius responsura tractanti : verum ista non mea materies. Iterum igitur sit dictum : de stylo, de genere quodam scribendi et ab iure aversa exprimendi nunc loquor. Præterea ne obliviscaris *facetum* non idem esse atque *salsum* aut *iocosum* : ergo non sales tantummodo aut iocos quos scriptoribus dictare ius potuit hic respicias. Ea est supra posita definitio ut facetias quæ neque hilares neque ridiculæ sunt amplectatur. Nempe sunt iuridicæ

facetiæ quæ risum neque movent neque movere volunt : immo quædam serio proferuntur et graviter proveniunt et consurgunt in altum. Caveas igitur ne linguarum cognatione inductus illud exspectes quod vernacula nostra *facéties* dixit (1) : verbum quidem specie et sono gemellum, nequaquam autem significatione adæquandum.

His igitur primo congressu dictis et caute provisis, hoc volumen quisquis præmonitus sumpserit, suo periculo aut oculis lustret aut toto animo perlegat. Quod ad nos, utinam, dum facetias evolvimus, ne inficeti nimis videamur.

(1) Quod si gallico verbo verbum latinum reddere libeat, propemodum nostri, cum facetias illas significant, *esprit, style spirituel,* ita dicere soliti sunt.

II

QUOMODO IUS CIVILE SCRIPTORES LATINI FACETE USURPAVERINT.

Quomodo facetiæ illæ sese habeant primum perquirendum est. Quæ quidem nunc singulis nunc pluribus verbis constant : nonnunquam compluscculis nituntur lineis : est cum paginam fere totam fovent. Videlicet aut translationes nunc minutiores nunc extensiores, aut ambigua, aut iuridicarum regularum vel formularum salsas dissimulationes aut etiam veras forensis sermonis parodias invenire est.

Translationes. Quod ad singula verba, profecto ille et scripta ipsa torqueat et verum transgrediatur qui facetum in modum induci arbitretur pleraque simplicium verborum illorum : *merces*, *ius*, *iudex*, *dolus*, *furtum*, *spondere*, *obligare*, *mandare*, *credere*, *solvere* et permultorum aliorum. Num enim, nos Galli, in nativo nostro sermone, ullo pacto iudicia aut lites respicimus, cum cotidiana tractatione resumimus hæc : *juge*, *juger*, *en appeler*, *obliger*, *obligation*, *dires*, *sans exception*, *flagrant délit*, *garantir*, *exécuter*, *nanti*, et cetera ?

Illorum igitur pleraque latinorum verborum liquet instituta iuridica præcessisse quibus posthac admota sunt : at voces eædem, etiamsi eo ipso tempore quo peculiaria instituta natæ essent, adeo frequenter communi omnium sermone sunt usurpatæ ut omnem vim iuridicam quasi currendo amiserint. Quemadmodum nomismata, dum perpetua traditione de manu ad manum discurrunt et quasi circuitu reducuntur, pedetentim extenuata non iam apparentem olim imaginem præ se ferunt, ita nullam imaginem vocabula ista deinceps retinent aut remittunt : neque apud recitantis aut scribentis, neque apud legentis aut audientis mentem ulla iuris commemoratio iam reviviscit.

Quod pariter de quibusdam locutionibus dici potest. Erraret sane qui iuridico sermoni assignaret usitata illa : *quo pacto* et *pro virili parte.* Fieri tamen potuit ut primigenia vox *quo pacto* iuridicum pactum significaverit et postea, sensu prolato, multa alia amplexa sit : quod idem apud nos contigit verbis iis gallicis : *arrangement*, *s'arranger*. Ac forsan priscæ significationis quiddam persentiscas in hoc Flacci versu :

Quo pacto iudicium illud
Fugerit.

Sat. I, 4, 99.

Nec non de locutione *pro virili parte* idem dici potest. Apud iurisconsultos, pars virilis hereditariæ parti opponitur. Cum testator non suam cuique succedentium et quotam partem scripsit,

hereditas viritim et æquis partibus dividi debet : unde, procul dubio, nata est frequentata illa locutio quam ingenito sensu non exutam apud Ciceronem reperies : videlicet :

> Me eius beneficio plus quam *virili parte* obligatum puto.
> *Philipp.* XIII, 4.

Recte necne voces eas a iure primam ducere originem contendimus ? Utcumque est, unum sine dubio asserendum est : multa iuridicæ linguæ vocabula, quæ iamdiu profluente omnium hominum sermone convehi solent atque ideo pristina vi spoliata devolvuntur, iterum et vere iuridicum sonum reddere possunt, modo sollerti scriptoris manu excitata redintegrentur. Nonnulla exempla proponere licebit.

Nihil profecto tritum magis quam adiectivum nomen *communis*, commune revera bonum scribentis cuiuslibet. Quod verbum qui utitur aut legit multum abest ut res illas communes animo repetat quas tragicus poeta apte descripsit :

> Communis usus omnium rerum fuit.
> Sen. *Octav.* 403.

Hoc tamen Flacci versus :

> Difficilest proprie *communia* dicere.
> *A. P.* 128.

haud secus atque eiusdem alterum hoc :

> Cervus equum pugna melior *communibus* herbis
> Pellebat.
> *Epist.* I, 10, 34.

explanari non possunt, nisi ad iuridicam notionem reverteris. Ius propterea quod respexerat, illa Tanaquilli Fabri doctissima filia veram eius *Artis Poeticæ* loci significationem invenire valuit; eandem autem ob causam Carolus a Sabignaco antiquariam feminam versute deridere sustinuit, cum interea omnes homines, grammaticæ istius litis parum docti iudices, illam erroris damnarent quæ omnino non errabat.

Nihilo aliter *vindex* publico usu teritur tanquam *ultoris* synonymon. Namque Iunius Iuvenalis ita scribit

impune et *vindice* nullo,
Sat. IV, 152.

tanquam si scribat: ultore nullo. Verum cum Phædra apud Senecam, deliberata morte scelus piatura, exclamat :

Pro, castitatis *vindicem* armemus manum !
Hippol. 261.

forsan illa secum reputat mortifera ipsius manu apud Cædicium et Rhadamantem causam suam pro se actum iri (1).

Eodem pacto Flaccus noster nequaquam prudens videtur ubi dicit :

Sunt *delicta* tamen quibus ignovisse velimus.
A. P. 347.

(1) Præterea, Hercules, apud Senecam orbis terrarum *vindex* sæpius dicitur. *Herc. Œt.* 321, 1019, 1334, 1416, 1594, 1837. Apud Horatium, Lollii animus est *vindex avaræ fraudis. Od.* IV, 9, 37.

Tantummodo quædam non exacte scripta criticus respicit. Sed infra eandem ad Pisonem epistulam attendas : nonne forum ille aliqua ex parte reminiscitur, hoc condito versu :

> Si *defendere delictum* quam vertere malles.
>
> *A. P.* 442.

Idem Horatius forensem *auctorem* alludit cum dicit :

> Habes *auctorem* quo facias hoc.
>
> *Sat.* I, 4, 122.

Nec magis præter poetæ voluntatem verba duo, ex iure sumpta, in uno versu geminantur apud Terentianum illud :

> Et amore et studio *solvam* quod *debeo* tibi.
>
> *Phorm.* 1106.

Simili arte, verbum omnino familiare *iudex*, modo aliis forensis linguæ vocabulis adiunctum deveniat, iuridicum saporem resumet, in his utputa locis :

> Male verum examinat omnis
> *Corruptus iudex.*
>
> Hor. *Sat.* II, 2, 8.
>
> Lentulus *egit*
> *Iudice* me, dignus vera cruce.
>
> Iuven. *Sat.* VIII, 187.
>
> Occurrat tibi nunc
> Œdipus, quo *iudice*, erroris quoque
> *Pœnæ petuntur.*
>
> Sen. *Phœn.* 553.

Pergamus ultra. Ecce Ovidius Naso elegiam inducit quæ parentibus orbata tutoris est in potestate :

Quo magis orba parentis
Hoc tibi *tutori* sarcina maior erit.
Trist. III, 14.

Marco autem Tullio si fidem facias, senatus *pupillus* (1) esse potest. Martiali præeunte, patroni partes vox quædam aget :

Et vocem mihi commodes *patronam.*
Epigr. VII, 72.

Nec Terentius profiteri dubitat ab opinione tanquam ab uxore divortium fieri :

Quæ tibi putaris prima in experiundo ut *repudies.*
Adelph. 862.

Eiusdem divortii cærimoniam repetit audacior ille Cicero, cum Cassium asserit

virtuti *nuntium remittere.*
Epist. Ad. Fam. XV, 16.

Horatio nunc præbeamus aurem. Actor ab auctore mandatum accipere solet :

Male si *mandata* loqueris,
Aut dormitabo aut ridebo.
A. P. 104.

Auctoris quoque mandator liber est apud Martialem :

Quid *mandem* tibi quæris.
Epigr. X, 104.

(1) *De Orat.* III, 41. Adiicit quidem Tullius, ne durior vox illa videatur, *ut ita dicam.*

Quin Persius ille subobscurus nutricem non delegat quæ, materteræ loco, vota faciat :

Ast ego nutrici non *mando* vota.
Sat. II, 39.

Nec non Senecæ translatio eadem singulariter arrisit ; apud quem Phædra suo ipsius animo commisit mandatum :

Aude, anime, tenta, perage *mandatum* tuum.
Hippol. 592.

Iuno rursus, dum iram suam compellat, iubet hanc sine mandatore debacchari :

Quid tanta *mandas* odia ?
Herc. Fur. 77.

Neque errat Iuno : namque

Haud est facile *mandatum* scelus audere.
Hippol. 427.

De arbitro autem et arbitrio quid dicam ? Multis quidem Plauti exemplis comprobatur principio *arbitrum* auscultatorem et *arbitrari* auscultare significavisse (1). Postea id verbum *arbiter* iuridicum sensum assumpsit : arbiter est ille iudex cui rem æstimare liberius licet (2) ; et actio tunc vocatur *arbitrium*. Quare Flaccus, cum summam regendorum verborum potestatem requirit, usum denotat

Quem penes *arbitriumst* et ius et norma loquendi.
A. P. 72.

(1) Sine arbitris (nullo inspiciente). *Captiv.* 159.
(2) Iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. *Cic. Pro Rosc. Com.* IV.

At præcipue Seneca arbitrum (tanquam vindicem aut mandatum) immoderato studio fovere videtur. Apud quem arbitrium faciunt et finis de agris et de nuptis maritisque connubium et pastor de pecoribus et de morte Pluto et de mundo Iupiter et denique Luna de Oceano.

Nullus in campo sacer
Divisit agros *arbiter* populis lapis.
Hippol. 528.

Coniugi donum datus
Arbitria thalami dura felicis feram ?
Phœn. 595.

Ecce grandævus senex
Arbitria sub quo regii fuerant gregis.
Œdip. 838.

Mortis *arbiter* (Pluto).
Herc. Fur. 582.

O magne Olympi rector et mundi *arbiter.*
Herc. Fur. 205.

Lunare sidus, ad cuius *arbitrium* Oceanus exundat.
De Provid. I, 1.

Illum in modum (ne fusius disseram) scriptores latini et præcipue poetæ — ut fuit videre — iuridica quædam vocabula ad se attracta rebus a iure valde alienis accommodaverunt. Nihil aliud igitur hic apparet atque translatio illa quam Marcus Tullius in egregio *De Oratore* (1) libro interpretari et enodare summa ope conatus est. Atque in hac Cicero-

(1) III, 38, 39, 40, 41.

niani operis parte unum est, mea quidem sententia, curiose observandum et apprime notatu dignum. Scilicet Marcus Tullius, cum quid sint translationes translationibus explanare studet, ius ipsum auxilio vocat et inclamat ; a iure petit istius verborum figuræ et descriptionem et certissimam normam : « Translationes quasi *mutuationes* sunt cum quod non habeas aliunde sumas... Verecunda debet esse translatio, ut deducta in alienum locum, non irruisse, atque ut *precario*, non *vi*, venisse videatur (1). »

Ergo Ciceronis nos vestigiis insistamus et, postquam de translatione quæ singulis nititur verbis locuti sumus, perpauca apponamus de illa quæ pluribus et continuatis connectitur. Productas quidem translationes ius sæpe alit aut fulcit. Exemplorum tantillum sufficiet : et, quoniam Ciceronem in manibus habemus, nihil ultra requiremus.

Tullio amicus Curius, incipiente epistola, scribebat :

Si vales, bene est : sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri. Ergo *fructus* est tuus, *mancipium* illius : quod quidem si inter *senes coemptionales venale proscripserit*, egerit non multum.

Ad. Fam. VII, 29.

(1) III, 41. Ex interdicto *unde vi* spoliator spoliato rei possessionis reddere debet, nisi spoliatus rem, quod ad adversam partem, *vi, clam aut precario* possederit. *Precarium* est pactum per quod Gaius rogatus Titio roganti rei possessionem concedit, ea lege ut Titius rem postulatus statim et sine mora restituat.

Ad quem doctissimus causidicus, easdem expertus chordas, respondebat :

Cuius (Attici) quoniam *proprium* te esse scribis *mancipio et nexo*, meum autem *usu et fructu*, contentus isto sum. Id enim est cuiusque *proprium* quo quisque *fruitur* atque *utitur*.

Ad. Fam. VII, 30.

Uberius etiam nec minus facete decurrit ille in libro *De Oratore* locus ubi Scævola prætoris interdictum ad philosophorum controversiam æquiparat.

Quod vero in extrema oratione, quasi *tuo iure* sumpsisti, oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem multisque præessem, qui aut *interdicto tecum contenderent*, aut te *ex iure manu consertum vocarent*, quod in *alienas possessiones* tam temere irruisses... *Agerent* enim tecum *lege* primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique, in suo genere, physici *vindicarent*, ornati homines in dicendo et graves, quibuscum tibi *iusto sacramento contendere* non liceret.... Et cum universi in te impetum fecissent, tum singulæ familiæ *litem* tibi intenderent.

De Orat. I, 10.

Nec satis. Ne poesis quidem longe ab se continuatas illas similitudines reiicit quas ex ore poetico effundi vix crederes. Ecce Musæ Themis totum epigramma dictat :

Commendo tibi, Quintiane, nostros —
Nostros dicere si tamen libellos
Possum, quos recitat tuus poeta (1) — :
Si de servitio gravi queruntur,

(1) Nomentanus, qui Martialis versus male recitabat.

Adsertor venias satisque præstes (1),
Et cum, se dominum vocabit ille,
Dicas esse *meos manuque missos.*
Hoc si terque quaterque clamitaris,
Impones *plagiario* (2) pudorem (3).

Epigr. I, 52.

Ambigua. Hactenus de translationibus. Veniamus nunc ad illos iocos quibus unum verbum in duas sententias accipi potest. Quod dicendi genus, licet recentioribus nobis perraro placeat, nonnulli gallice scribentes sibi permiserunt : atque ille ipse qui ejusmodi dicteria *ingenii fæcem* vocavit (4) non semper se tenuit quin ridibundum vulgus vilibus istis cupediis illiceret. Nequaquam sane Romani tam rusticos sales horrebant : immo illi verbis ambiguis animos parvo contentos sæpius relaxavere.

Plautus inprimis, dum ex uno verbo duas sententias elicit, valde se amat : aut potius summus ille vir servis parasitisque et lenonibus, quorum excepit fabulas, faciliores aures patefecit. Quare apud eum, nunc Prologus petit ut conquisitores infidorum histrionum « ornamenta et corium concidant » (5) ; nunc, Hegionis de sententia, Ergasilus parasitus « non *profundum* vendit, sed *fun-*

(1) Liberalis causæ cærimoniæ alluduntur. Vid. infra, p. 62, 63.
(2) Plagiarius est qui sciens et dolo malo liberum hominem vendit, emit, celat, in vinculis habet.
(3) Vide infra alterum epigramma de *auctione*, p. 76.
(4) V. Hugo.
(5) *Amphitr.* Prol. 85.

dum » (1) ; alio in loco captivus Tyndarus, in versu ter ambiguo, *liberum* hominem et *Liberum* Bacchum uno oris hiatu complectitur (2) ; aliubi etiam Ergasilus idem, dum culinæ manducus alter pestem minatur, vere ridicula maiestate conclamat :

Nunc ibo in meam præfecturam, ut *ius dicam* larido,
Et quæ pendent *indemnatæ* pernæ, eis auxilium ut feram.
Captivi, 840.

De *testibus* autem et *intestabili* (3) potius erit silere : adeo impudenter his in locis colluditur. Verum, ut aiebat Bolæus noster,

In verbis Latii non curavere decorum.

Faceti magis Catullus et Horatius ; quorum prior non ingrate scripsit :

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus *opposita est*...
Verum ad millia quindecim et ducentos (4).

(1) *Captivi*, 511. Non is quidem hic iocus quém *calembour* nos vocamus, verum potius *à peu près*. Quod salis genus fovit Cato Censor : « Non modo *vinosus*, sed *virosus* quoque. » Atque, alias : « Eamus deambulatum. — Quid opus fuit *De ?* Immo vero, quid opus fuit *Te ?* » *Orat. Rom. Fragmenta*. Meyerus et Dubner (Parisiis, 1837), p. 213 et 199.

(2) *Captivi*, 512.

(3) *Curculio*, 30 et 31 ; *Mil. glor.* 1412, 1418. « *Testes* verbum honestissimum in iudicio : alio loco non nimis. » Cic. *Ad. Fam.* IX, 22, in fine. Notat Naudet (Plaut. t. IV, p. 406) Pomponium, Atellanarum auctorem, eodem animo scripsisse : *Cum servo intestato uno senex proficiscitur*

(4) *Cat.* 26.

alter de *malo carmine* Trebatium abunde iocantem induxit (1).

Marcum autem Tullium nisi hic, ut semper, inveniamus, iure miranda res sit. Qui eodem styli tenore ambigui descriptionem et exemplar adumbrat. « Per ambiguum, cum verbum potest in duas pluresve sententias accipi... ut de eo si dicas qui multas hereditates adierit : Prospice tu, qui plurimum cernis » (2). Præterea nemo homo est qui ignoret metuendum illum patronum, cum in Siciliæ prætorem atrocibus verbis baccharetur (3), ipsum nomen verrinum scurrili dicacitate contorsisse. Quin iuvenis adhuc, cum idem agendi faceret initium, iam per tragicum iocum eloquentiæ campum dederat :

> Quid ais ? Vulgo occidebantur. Per quos et a quibus ? Nonne cogitas te a *sectoribus* huc adductum esse ? Quid postea ? Nescimus per ista tempora, eosdem fere *sectores* fuisse collorum et bonorum (4) ?
>
> *Pro Rosc. Amer.* 29.

Imitationes. Nequaquam sane illi quorum ad aures grandia ea verba sonuerunt, cives aut sicarii, oppressi aut opprimentes, rictum hilaritate diduxerunt. Nec magis ad tollendos cachinnos, verum potius ad verecundum risum movendum spectat

(1) *Sat.* II, I, 82 et 83. Cf. *Epist.* II, I, 152 sqq.
(2) *Ad Her.* IV, 54. *Cernere* fere idem est atque *adire* hereditatem.
(3) Utputa *In Q. Cæcilium*, XVII.
(4) *Sectores* vocantur qui publica bona mercantur (Gaius).

alterum facetiarum genus quod apud solos poetas invenitur. In numeros scilicet redigi possunt quædam iuris præcepta aut adagia. Sic canit Horatius :

> Nil agit exemplum litem quod lite resolvit.
> *Sat.* II, 3, 103.

atque alias :

> Si propriumst, quod quis libro mercatur et ære,
> Quædam, si credis consultis, mancipat usus.
> *Epist.* II, 2, 159.

Nempe prudentes et multas alias enuntiant regulas et eas inprimis, tanquam cantilenæ intercalares versus, lubenter obganniunt : *Adoptio naturam imitatur. Tanti æstimanda res est quanti emptorem potest invenire. Inopia debitoris excludit omnem actionem.* Quæ præcepta poetæ quidam in numeros compulerunt :

> Imitatur adoptio prolem.
> Auson. *Cæsares*, 13 (Nerva).

> Res quæque tanti est quanti emptorem invenit.
> Publius Syrus.

> Debet enim si quis solvere, Sexte, potest.
> Mart. *Epigr.* II, 3.

> Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est.
> Id. *Id.* IX, 102 (1).

Et nunc proclivi orationis contextu ad formulas

(1) Cf. Id. *id.*, II, 77 ; I, 76 ; IX, 83.

deducti sumus quas Romæ in forensi commercio summi momenti fuisse nemo ignorat. Formulas igitur, ut pote quæ stylum quasi ultro invaderent, litterati homines sæpius exceperunt quibus remotissimas sententias redderent. Quas omnes recognoscere perquam longum sit ac molestum. Quid prosit enim omnes continuata serie locos ex ordine introducere in quibus aut logicæ aut ethicæ aut cuivis philosophiæ parti admoventur locutiones istæ aut aliæ ejusmodi : *Qua de re agitur* (1). *De eadem re alio modo* (2)*! Ilicet* (3). *Quibus sciam et potero* (4). *Numquæ causa est quin* (5). *Ope consiliove tuo* (6). *Vi hominibus armatis* (7). *Vidi* (8). *Spondesne?* — *Spondeo* (9). *Signa, signate Quirites* (10), et cet. Quas singulas formulas qui pernoscere volet, Brissonium adibit et, perlecto *De Formulis* libro, intelliget quoties suppetias huic advenerint classici nostri scriptores. Horatium nos tantummodo appellemus, qui formulas imitando se ipse nonnunquam oblectavit. Qui cum Trebatium Testam iret consultum — non tamen sub galli cantum (11) tan-

(1) Cic. *Brutus*, 79.
(2) Cic. *De fin.* V, 29; *Epist. Ad Fam.* XIII, 19.
(3) Plaut. *Mostell.* 837. Terent. *Adelph.* 784.
(4) Cic. *De Orat.* I, 22.
(5) Plaut. *Amphitr.* 698; *Captivi*, 287.
(6) Cic. *De nat. Deor.* III, 30.
(7) Cic. *Epist. Ad Fam.* XV, 16.
(8) Juv. *Sat.* VII, 13; XVI, 30.
(9) Plaut. *Captivi*, 831.
(10) Ovid. *Pont.*, IV, 15, 11; Mart. *Epigr.* IX, 87.
(11) Hor. *Sat.* I, 1, 10. Cf. Cic. *Pro Mur.* IX : Te gallorum... cantus exsuscitat.

quam mediocriculi litigatores — his necessariis verbis exceptus est :

> Ergo consulere et mox respondere licebit
> *Sat.* II, 3, 192.

quo vere sacrosancto carmine consultores primo statim introitu salutatos fuisse nos docet Cicero (1). Nec non Flaccus idem sepulchra, res licet religiosas, mente saltem ac ludendo invasit, cum, quinque litteris H. M. H. N. S. fere observatis, hoc conderet :

> Heredes monumentum ne sequeretur.
> *Sat.* I, 8, 13.

ridiculum sane versum et illis bene acceptum qui quotidie inscriptum monumentis epigramma lectitarent.

Antequam tamen hanc rem omittimus, una aut altera formula notanda est quarum utraque sæpius restituitur, divortii scilicet ac rei vindicationis. Maritus ergo, si cui uxorem repudiare placuerat, prisco tempore solitus erat dicere : *Bete foras*(2), quod idem est atque *I foras* (3) aut *Vade foras* (4) ; posterius dictum est *Tuas res tibi habeto*(5). Quare Marcus ille Tullius, dum Antonium deridet quod in omni vita nihil egit « honestius quam

(1) « Licet consulere. » *Pro Mur.* 13. Cf. Hor. *Epist.* I, 3, 23.
(2) *Varro* ap. *Non.* p. 78.
(3) Plaut. *Cas.* 107.
(4) Mart. *Epigr.* XI, 104.
(5) Plaut. *Amphitr.* 773 ; *Trin.* 333. Mart. *Epigr.* X, 38.

quod cum mima fecit divortium », istum, dissimulatione facta, tanquam XII Tabularum castissimum observatorem repræsentat :

Mimam suam *suas res sibi habere* iussit ex Duodecim Tabulis.

Philipp. II, 28.

Quam formulam meminerunt et Martialis et Iuvenalis :

Quæ tua sunt tibi habe : quæ mea redde mihi.
Mart. *Epigr.* X, 47 (1).

Proculeia, maritum
Deseris atque iubes *res sibi habere suas.*
Id. X, 41.

Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi.
Iuv. *Sat.* VI, 146.

Rei autem vindicationis et contra vindicationis carmen, vix dicere necesse est quoties poeticam scripturam invaserit. Quot et quales fuerint vindicationis cærimoniæ, Marcus Tullius, cum *pro Murena* (2) dicit, nos edocet : et idem singula quo magis illudat prolixe persequitur. *Hunc ego hominem, fundum, ex iure Quiritium meum esse aio* recitabant litigatores, simul et manus rei vindicatæ imponebant. Poetis nunc præbeamus aurem :

(1) Apud Rader (Moguntiæ, MDCXXVII f°). Omisit Gilbert.
(2) 12. Apud eundem, « maximam partem quasi suo iure Fortuna sibi vindicat. » *Pro Marcello*, 2. Cf. *De Off.* I, 1 ; *De Rep.* I, 17.

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum
Quem Venus *iniecta vindicat* alma *manu*.
Ovid. *Fast.* IV, 89.

Et dicam : *Mea sunt iniiciamque manus*.
Id. *Amor.* I, 4.

Iniiciam dominas in *mea iura* manus.
Id. *Amor.* II, 5, 30.

Clamarem : *Meus est iniiceremque manus*.
Id. *Heroid.* XII, 158.

Redde *meum* clamant.
Redde *meum* toto voce boante foro.
Id. *Ars. am.* III, 450.

Si nescis, *meus* ille caper fuit.
Verg. *Ecl.* III, 23.

Hæc meà sunt : veteres migrate coloni.
Verg. *Ecl.* IX, 4.

Pone, *meum est*.
Hor. *Epist.* I, 16, 35.

Hæc mea sunt, teneo, cum vere dixeris.
Pers. *Sat.* V, 113.

Hoc lege quod possit dicere vita : *meum est*.
Mart. *Epigr.* X, 4.

E formulis facili via transibitur ad leges ipsas et edicta. Iam supra vidimus interdictum *unde vi* ad alienum quiddam, Marco Tullio iubente, deduci. Terentius autem nos infra (1) docebit prætorem, quod ad scenicos amores, non mortua verba facere. Quin et ipsis XII Tabulis « quas bis quinque viri sanxerunt (2) » ludere (ut ait de P. Mucio

(1) Vid. p. 65.
(2) Horat. *Epist.* II, 1, 23.

Scævola Marcus Tullius (1)) non dubitaverunt. Horatius decemvirorum præceptum hunc in modum rescripsit :

> Si male condiderit in quem quis carmina, ius est
> Iudiciumque.
>
> *Sat.* II, 1, 82.

Ceterum Flaccus Lucilii exemplar exceperat :

> Si non it, capito, inquit, eum, et, si calvitur, endo
> Ferto manum.
>
> *Fragm.* XVII, 5.

Nec non utrumque in hoc cavillandi genere præcesserat Plautus. Quo auctore, parasitus Saturio (2) aut Strobilus servus aut Congrio coquus (3) vere decemvirali ore delitigare videntur. Prorsus hic ille Maccius in eo semper et ubique studium impertivit ut comitium non minus quidem vividum, multo magis autem festivum quam verum comitium, in scenam transferret. Quoties ille vel per Prologum vel per personas fabularum prætoris aut ædilis edictum ludicre instauravit ! Legas, exempli causa, *Amphitruonis* (4) aut *Pœnuli* (5) prologum ; Ergasilum in *Captivis* audias, audias et adolescentem Eutychum senibus in extremo *Mercatore* leges dictantem : nonne inde lubebit Plautum ip-

(1) *De Orat.* I, 50.
(2) *Persa*, 71 sqq.
(3) *Aulul.* 372 et 599.
(4) 63 sqq.
(5) 16 sqq.

sum iis compellare verbis quibus Ergasilum Hegio:

> Euge, edictiones ædilitias hic habet quidem!
>
> *Captivi*, 756.

Quid præterea dicam de emptionibus venditionibus, de locationibus, stipulationibus, sponsionibus, auctionibus, in ius deductionibus, quas ille, licet falsas, veris verbis sincere restituit aut nimia diligentia petulanter amplificat? Quæ quidem iuridicæ cærimoniæ adeo totum opus, quod ad res, complent et, quod ad stylum, exornant, ut ille qui ne unam quidem prætermittere contendat omnes fabulas explicare et integras scenas rescribere aut interdum etiam totas comœdias debeat restituere. Res sine dubio immensi operis quæque hoc libellum eo minus deceat quod iam ac pœne recenter in amplo et peculiari libro perfecta est. Videlicet Æmilius Costa (1) universos omnes locos quos apud Plautum ad ius privatum pertinentes invenias et excerpsit et ordine disposuit et in corpus redegit. Ad hunc igitur te convertas, nisi susque deque habeas novisse quantum lucri Titus Maccius ille fecerit dum gesta in foro aut dicta colligeret.

Vix tamen edebatur ille, de quo supra, liber cum reclamaretur. Namque summus vir et inter Gallos cum doctrina tum auctoritate præstantissimus atque hac in re maximi momenti ideo æstimandus

(1) Emilio Costa. *Il diritto privato nelle comedie di Plauto*. Torino. Fratelli Bocca, 1890, in-8°, 553 p.

quod et Romanorum ius penitus introspexit et græcorum privata instituta pœne solus redintegravit, scilicet Rudolphus Dareste, præcipiti elatus impetu, Costam sibi ipsum perstrinxisse oculos et excerptorum plerosque locos græco, non romano iuri adscribendos esse contendit (1).

Quare, cum Rudolpho et Æmilio ducibus ambæ interpretandi rationes nunc inter se profligant, et ipse permulta e Plauto sumpta ac tanquam romano iuri tribuenda etiamnum produxerim et iterum sim producturus, necesse mihi nunc videtur, ne angustias imprudens transilire videar, profiteri libere ac nullis quæsitis suffugiis declarare quid de hac re sentiam, qua de causa alterius potius partes tuter, quo denique iure fretus Plauto facetias iuridicas unice placuisse existimem. Sane Rudolphum stricto gladio invadere sit impudentis: eundem forsan punctario lis lacessere licebit. Procul absit igitur, ut, cum reorum alter tanti sit et res ponatur tam lubrica, imperatoriam ego sententiam pronuntiare ausim. Verum, quoniam in hac lite non de facto sed de quanto agitur, inter reos ego non iudicis ritu, sed arbitri more modoque memetipsum producere sustinui.

(1) *Journal des Savants*, mars 1892, p. 145-155.

III

DE IURE APUD PLAUTUM EXCURSUS.

Litem primo circumscribere operæ pretium est. Profecto certos quosdam apud Plautum locos in controversiam adduci non posse manifestum est, quorum alios ad Græcum, alios ad Romanum ius pertinere nemo est qui dubitet: e quibus nonnullos, nota, ut ita dicam, Græca signatos, doctissimus vir, Rudolphus Dareste, Græcorum iuris sagacissimus et gravissimus interpres, in scripto supra memorato excerpsit et illustravit, nullum tamen insigniorem quam hunc qui, ex *Epidico* depromptus, fere solus ad probandum prorsus valet. Nempe inducitur senex Periphanes, qui, postquam sibi emptam esse fidicinam narranti Epidico fidem habuit, eam rogitat num eo ipso die a lenone sit empta. At illa :

> Ego istunc hominem nunquam audivi ante hunc diem,
> Neque me quidem emere quisquam ulla pecunia
> Potuit : plus iam sum libera quinquennium.
>
> *Epidicus*, 475.

Quid sibi vult istud quinquennium ? cuius nulla apud romanos iurisconsultos mentio, cum contra

apud Græcos, ut ceteræ res, ita libertas quinquennii possessione solita fuerit usucapi ; ex quo sequitur eam, de qua agitur, fidicinam, cum per quinquennium in possessione libertatis fuerit, et liberam se gesserit, utique fuisse liberam : sic enim apud Græcos institutum erat. Quod cum sentit criticus ille noster, et sapit, et « Iove iudicat æquo ».

Ex contrario sæpius accidit, quod nos in principio huius libelli præfari non piget, ut plurimos apud Plautum locos non possis, nisi ad ius romanum respicias, explanare. Utputa, in *Pseudolo*, ille, cuius plenus aranearum est pasceolus, Calydorus, cum pecuniam mutuam undecumque rogat neque invenit, tandemque ad desperationem adductus ridiculum in modum exclamat :

Annorum lex me perdit quinavicenaria,
Metuunt credere omnes.

Pseudolus, I, 3.

quid aliud significat, nisi eam legis Plætoriæ partem qua civi cuilibet actio datur adversus eos qui minorem XXV annis circumscripsissent. In *Mostellaria* etiam cuidam danistici generis piratæ sibi quattuor et quadraginta minas solum deberi, nec quidquam amplius confitenti, servulus adolescentis Tranio nullam moram facit quin respondeat :

Velim quidem, hercle, ut uno nummo plus petas.

Mostellaria, 641.

Quibus verbis sine dubio demonstrabat, se, si aliter

res sese habuisset, beneficio legis usurum fuisse, qua, si quis in petendo plus complecteretur quam ad eum pertineret, causa cadebat et vel debitæ pecuniæ sententia iudicis damnum faciebat. Cum autem nullam eiusmodi legem apud Græcos latam esse appareat, hoc quoque Tranionis dictum, sicut multa alia quæ enumerare longum est, e medio foro romano ductum fuisse omnium suffragiis confirmatur.

Sed hactenus consentiunt : nam, exceptis iis versibus quorum, quia unius gentis legibus dant locum, non ambigua est interpretatio, reliquos alii, ob id ipsum quod Græca fabula est, protinus græco iuri assignant, alii, quibus nos assentiri fatemur, iuri romano. Rem autem esse magni momenti et ad ius moresque romanos pernoscendos spectare quis negaverit ? Etenim, si pro certo habebimus ad ius patrium plerumque intentam fuisse Plauti mentem, fidem nobis afferent fabulæ, illis temporibus, et manumissiones liberioribus, quam legitimis vindictæ, census et testamenti, modis fieri cœpisse, et bonæ fidei pacta sine solemni stipulatione usurpari, et pleraque negotia per trapezitas tractari, denique iam tum illa ætate antiquam stricti iuris severitatem, adiuvante morum humanitate, fuisse mitigatam. At contra, si Rudolphi græco iuri faventis sententiam sequemur, nulla pars legum et vitæ apud Romanos, exceptis quibusdam certissimis locis, ex Plautinis fabulis poterit deprehendi.

Nunc vero, causa definita, quam recte iudicari quanti intersit exposuimus, nobis ad eam explicandam aggredientibus nihil commodius videtur quam illius hesterni libelli supra memorati ordinem servare, ut ea quæ, vel in medium afferuntur, vel nobis obiiciuntur, singula discutiamus et dissolvamus, inprimisque caveamus ne, quæ haud scio an consulto omissa sint, ipsi omittamus ; tum argumenta, quæ in utramque partem proponuntur, in duo genera distribuere, altera communia et in medio posita, quæ sunt temporis et loci, altera propria et ex ipsis Plauti verbis deprompta.

Ex illis autem argumentis quæ sunt temporis et loci, in hoc uno ante omnia morantur græci iuris fautores et fere totam disputandi rationem ponunt, quod græcæ sunt, quas Plautus in latinum sermonem transtulit, fabulæ. Nam, ut ex iis tres et decem ex certis græcæ comœdiæ poetis imitatus est, ita eum septem reliquas ab eodem græco fonte hausisse perspicuum est. Plautum igitur a Græcis fabularum materiem traxisse, et eas agi in Græcia, nominaque græca, cum personis, tum locis et rebus, ut ædium partibus, vestibus, pecuniæ esse servata cuivis est exploratum ; neque negat Æmilius Costa : quanquam huius opinionis firmandæ causa ad rem non erat uti testimonio Horatii quem, cum scriberet :

> Dicitur...
> Plautus ad exemplum siculi properare Epicharmi,

nullo modo ad Plautinas sententias, sed scribendi rationem, attendisse luce clarius est (1). Nunc, ut ad propositum redeamus, ista rerum et personarum et urbium nomina, quid ad nos ? Hæc enim est fabularum veluti pars exterior, apparatus et scenæ ornamenta, quæ ad oculos delectandos, non ad mentes exhilarandas nata sunt. Adde quod habitum græcum sæpius fabula exuit, ut græcis urbibus vici et insulæ cauponæque Urbis adiiciantur, et vasa, cibi, permultaque alia admoveantur ad usum Romanorum accommodata : nec contradicit Rudolphus.

Itaque res integra est, quam ita finimus : ex prologis et iis quæ fabularum indicibus subscripserunt librarii, accepimus eas ex Menandro, aut Philemone aut Diphilo, aut alio poeta a Plauto translatas fuisse ; sed quo modo translatas ? Utrum verbum verbo reddere satis habuit, an, ingenio suo indulgens, res libere et summatim imitatus est, alienamque materiem sui iuris fecit, non secus ac si quis, fabulam, postquam legit, suo more retractet, prout sapit, et mente, aut voluntate aut necessitate impellitur : quorum alterum erat demonstrandum. Nam lis adhuc pendet, variis

(1) Illo versu (pace Rudolphi dixerim) non significavit Horatius vestigiis Siculi Epicharmi Plautum institisse, sed eius, vel festinationem in scribendo esse æmulatum, vel in componendo impetum. Addit etiam Rudolphus : « Nihil illi græci poetæ pingere potuerunt, nisi quod oculis subiectum erat, hoc est Atheniensium et Syracusanorum mores. » Nulla autem Plauti fabula Syracusis agitur, nulla in Sicilia.

iactata sententiis, quarum, si summam perpendere vacet, numero, si auctoritatem (1), pondere vincamus. Sed, quasi dirempta controversia, Plautum e servo imitatorum grege non segregare, quid est aliud quam litem lite resolvere?

Hac tamen disserendi ratione adversa pars utitur; neque Plautum, utpote poetam, poeticum opus, sicuti domum, ab aliis descriptum et dispositum ad suum usum convertisse in deliberationem venit; sed nimis fidus imitator et furti manifesti reus intra parietes damnatur. Hinc non argumentandi, sed decidendi et decernendi, lubricus sane et incomprehensibilis modus; ac, si licet aperte dicere, Gallus Rudolphus cum Ausonio Costa non iure gentium rem agit, sed potius civili, eodemque stricto, immo scolastico iure. Ab uno et altero loco disce omnes: « Persæpe fit ut, cum iuris græci mentionem fieri certum sit, ibi iuris romani non fieri non sit certum. At ius romanum restituenti quidvis coniicere non sufficit; nam ei, qui aliquid asseverat, incumbit probatio, nec solum fieri potuisse, sed revera fuisse probandum est (2). »

Addit etiam: « In universum statuendum est Plautum, quoties de iure loquitur, de iure græco, etiamsi latinis verbis utatur, non de romano loqui. Interdum quidem græcæ narrationi quædam e iure

(1) Naudet. *Plauti translatæ comœdiæ.* Vide Commentarios passim et præcipue, I, 379, et V, 407. G. Boissier. *Quomodo Græcos poetas Plautus transtulerit*, Thesis, Parisiis, 1857.

(2) P. 151.

romano sumpta adiicit, sed præter solitum ; comprobat autem morem, si quid contra morem est. Accedit quod rem insolitam esse qui contendit, esse insolitam probare debet, neque id ad probandum satis valet, quod Plautus verbis e latino sermone ductis uti maluerit (1). » Ecquam autem habet vim ista argumentatio ? Nisi forte cui persuasum sit Plautum, quæ transtulit, ad verbum transtulisse.

Nempe eadem arrogantia impugnatur Costa ac si portentosum et inauditum aliquid molitus fuerit et disciplinarum rempublicam vesano novarum rerum studio funditus conturbaverit. At nihil tale admisit ; siquidem a primis temporibus renascentium sexto decimo seculo litterarum utraque opinio, et eius et adversæ partis, a doctis viris accepta est et disputata : alii, quorum primus Alciatus (2), postremus Burchardt (3), plurima ex Plautinis fabulis deduci posse existimaverunt ad ius græcum pertinentia ; alii, a Cuiate et Brissonio usque ad Æmilium Costam (4), romanæ antiquitatis curiosi, eas adierunt et excusserunt eo maiore studio quod, extra M. Catonis librum *de Re Rustica*,

(1) P. 154.

(2) Alciatus quodam *Casinæ* versu fretus « *una libella liber possum fieri* » asserit Athenis latam fuisse legem qua iubente servi una et aurea « libella » se redimere possent.

(3) *Zur geschichte der locatio conductio*. Basel, 1889, p. 6-7.

(4) Rideas licet : Salmasius Plautum reprehendit quod romana instituta in græcas fabellas induxerit (Vide Æmilium Costam, p. 33, in notula).

nulla ad ius romanum per plura secula pernoscendum, nisi rara quædam et trunca, supererant. Quin etiam quo tempore veterum scriptorum auctoritatem maiore cura, quia plura erant, examinatam fuisse verisimile est, non ita delicatus erat A. Gellius ut tali fastidio, quali Rudolphus, dignas haberet Plautinas fabulas ; sed ex iis sumebat (1), si quid ad illustrandum ius patrium utile videbatur. Nobis igitur saltem liceat primam istam fabularum originem, ut quæ nihil ad causam afferat, a causa seiungere et ad aliud devertere.

Alterum autem argumentum commune et in medio positum aut omiserunt ii quos contra dicimus, aut prætermiserunt. Nobis vero istam disputandi parsimoniam imitari non libet, et, quod a lite aversum est, liti restituimus, utpote gravissimum et quod per se ipsum iamnunc valeat ad rem haud ambigue demonstrandam, id est Plautum poetam comicum fuisse et populo acceptum, fabulasque maxima hominum celebritate agi solitas fuisse : nec rem notissimam probari opus esse censemus. Adde quod non magis centuriis equitum quam tunicato popello e summa cavea (2) spectanti placere studebat, et diu placuit ; quosque plausus eius fabulæ etiam longo post eius mortem tempore movebant, iis iam a principio strepebat cavea, non doctis spectatoribus referta, sed ea quæ Græcorum

(1) *Noct. Att.* xvii, 6.
(2) Sen. *De Tranquill. anim.* 11, 6.

vitam et multiplicem morum legumque rationem ignoraret plebecula. At iuridicis facetiis et argutiis, sive ex verbis, sive ex rebus emicantibus ita scatent Plautinæ fabulæ, ut loci eius generis, a Costa in indice notati, trium millium numerum excedant et fere centum quinquaginta pro portione singulis fabulis aspergantur : qui quidem sales aut risus concitabant aut certe ad risus concitandos intendebantur. Quid quod totæ et fabularum partes, et fabulæ ex iuris usu, aut iudiciorum formulis, aut aliqua litis controversia pendent ?

Quæ cum ita sint, ecquis est qui sibi persuadeat, ducentesimo ante Christum natum anno, ab illis nucis et fricti ciceris placentarumque emptoribus in summa cavea sedentibus sæpiusque silere jussis, quibus fabula, antequam ageretur, prologo erat explicanda, ab illis denique lixis et servis quibus potior erat ludis scenicis bestiarum pugna, eam rerum græcarum scientiam fuisse comparatam, ut fabulam in qua centies aut ducenties græcarum legum fiebat mentio, facile intelligerent ? Quod si qui fieri potuisse existimant, ii primam hanc scenicæ artis legem se nescire fateantur, fabulam ad populi sensum debere esse accommodatam et quasi promiscuam ; præterea verbis adeo illustribus scriptam, ut facile vel ab lento et minus sedulo spectatore intelligatur ; postremo in facetiis ante omnia fugiendam esse obscuritatem : nesciunt autem qui leges Græcorum in nostris fabulis describi profitentur. Non enim dubitant dicere :

« Ius romanum designari non eo probatur quod verba e latino sermone desumpta sunt, *quia Romanis verba, non res, in usu esse poterant* (1). »

Mirum sane, apud quos hæc verba *prætor*, *libertas*, *libertus*, *fides*, *pignus* et alia eiusmodi essent pervulgata, iis non prætoris, libertatis, liberti, fidei, pignoris notionem, qualem in mente habebant, succurrisse ! Attamen Plautum alia sentire, alia loqui declarat sagax iste græci iuris interpres; ut sequatur, aliud Plauto, aliud spectatoribus semper in mente fuisse, quod incredibile videtur, aut, quod æque incredibile est, spectatores, iuris utriusque peritos, in verbis interpretandis sine intermissione fuisse occupatos : ut paucis absolvam, si Rudolpho fidem facimus, aut rudem Plautum, aut, doctissimum unumquemque auditorem haberi necesse est : at non defuturos spero, quibus in contrariam partem rem diiudicare placuerit.

In summa, ut priorem huius disputationis partem complectamur, nobis causam cognoscentibus et ea quæ sunt extrinsecus colligentibus nihil obstat quin ad eam opinionem accedamus ad quam, litteris et historia favente, ultro deferimur. Superest ut verba ipsa, num in eamdem sententiam nos trahant, videamus.

Iamnunc argumenta, quæ in legendis fabulis notata et nobis obiecta sunt, tempus est inspicere. Quorum gravissimum et amplissimum ex eo duci-

(1) P. 154.

tur (1), quod, cum Romæ filii et filiæ familias in patria potestate essent, et uxor in manu mariti, apud Plautum, si ius romanum servaret, neque contendentes cum maritis et iurgantes uxores, neque filii patribus adversantes inducerentur ; nec mora esset quin patrio aut maritali uterentur imperio imbecilli illi senes, inter quos Demipho (2) et Demænetus (3), et omnem familiam ad domesticam disciplinam, iubente lege, redigerent. Quod nusquam fieri arguitur, et pro oraculo hoc editur : « *Nullum in plautinis fabulis patriæ potestatis vestigium apparet* (4)..... *Nullum etiam maritalis potestatis vestigium* (5). »

Quod qui affirmant mihi Plauti fabulas et ipsum Costæ librum parum attente et nimis expedite videntur legisse ; nam, contra, multis et insignibus locis potestas, et patria, et maritalis aperte significatur, inter quos :

> Pater vocat me, eum sequor, eius dicto *imperio* sum [audiens.
> *Amphitr.*, 836.
>
> Vel tu me vende, vel face *quod tibi lubet.*
> *Persa*, 395.
>
> Tua istæc *potestas*, pater.
> *Persa*, 340.
>
> Obsequens obediensquest mori atque *imperiis* patris.
> *Bacch.*, 430.

(1) R. Dareste, p. 146, 147.
(2) In *Mercatore.*
(3) In *Asinaria.*
(4) P. 146.
(5) P. 147.

Verum postremo in patria *potestate* est situm :
Faciundum id nobis quod parenteis imperant.
Stichus, 52-53.

Tuis *servivi servitutem imperiis* præceptis, pater.
Trin., 359.

Neque operæ pretium est cetera de genere hoc, quæ Costa collegit (1), perscribere, cum satis sit secundam quinti actus scenam in *Menechmis* recolere, ubi patria, non modo potestas, sed maiestas quam sancta esset, patris voluntati filio religiosius obtemperante, proponitur.

Iura etiam mariti in uxorem Plautus adeo non nescit, ut vitæ necisque potestatem in eorum numerum reponat, et dicta eius cum dictis M. Catonis in ea, quam *De Dote* habuit, oratione concurrant : « In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impune necares : illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque ius est » (2) : quod ipsum necandi ius, sex locis, quos selegit Costa (3), notatum invenias, et, quamvis in his de stuprosis mulieribus agatur, mulierem quoque castam filiæ loco fuisse, nec quidquam proprium habere potuisse et institutum erat et affirmat Plautus :

Nam peculi probam nihil habere addecet
Clam virum : et quæ habet partum, ei haud com-
[modist

(1) P. 189 sqq.
(2) Gell. *Noct. Att.* x, 24.
(3) P. 181 et 182.

Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne quidquid tuumst.

Casina, 97.

Tale igitur ius fuisse neque ignorat, neque silentio prætermittit : sed ius et leges sine moribus quid valent ? Nisi quis forte eam conditionem nobis imponit, ut semper leges cum moribus plane congruere confiteamur. At, si ita esset, ferias agerent omnes legum latores et decoquerent fabularum scriptores. Contra, ex ea quæ inter leges regendæ hominum vitæ causa latas et vitam ipsam, qualem se habet, vulgo oritur discordia fit ut et ius moribus et temporibus se perverti patiatur, et poetis, qui in satira et comœdia versantur, fecunda rerum messis proveniat. Apud nos quoque non desunt leges quibus liberi parentum imperiis obtemperare et uxores ad maritorum imperium se gerere iubentur; sed sæpissime alia lege atque ea, quæ publice lata est, domi vivitur, iuraque in *Civili Codice* inscripta privato iure abrogantur et, sicut illa ridiculi Arnolphi præcepta, pro nihilo habentur. Simili modo, fac post duo annorum millia aliquem existere qui, interpretandæ gallicæ comœdiæ studiosus, a verbis non recedat, et aliud dici, aliud significari non sentiat, is profecto, quales nos in ea depictos ridemus et intelligimus, nos depingi non intelliget et sic loquetur fortasse : « Gallorum fabularum, quæ nono decimo seculo in scenam prodierunt nulla est quæ, ad leges Gallorum, quales fuisse constat, spectare videatur. » Quam opinionem redarguere, et demons-

trare in illis, quas plausu excipimus, fabulis, legum observantiam cum moribus omnino convenisse res erit magni laboris.

Omnibus enim in civitatibus semper res ita sese habuerunt, Romæque, eo ipso quo vivebat Plautus tempore, iam a maiorum moribus plerumque desciverant M. Catonis æquales, interque pauciores in dies Cincinnatos multi et vetuli amasii numerabantur. Eos insectatus est Plautus et inexpiabili bello lacessivit (1). Quanquam senectutem contumeliarum verberibus furiose appetitam non tam ludibrio habet, quam eos qui senectutis maiestatem vesana luxuria dedecorant iustis pœnis afficit et ulciscitur ; Romanorumque vitia ipsa incusanda sunt, non poeta vitiorum insectator ; quod in extremis *Bacchidum* versibus testatur orator :

Neque adeo hæc faceremus, ni antehac vidissemus fieri,
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres.

Noli igitur dicere ab iuris romani consulto non intelligi posse (2), neque unquam Romæ factum fuisse quod in *Mercatore* inter patrem et filium agitur, ut hic de virgine, quam matri se emisse mentitur, cum illo litiget et adversus eius sententiam licitetur ; ne causa, veluti qui plus petit, cadas, si hoc edicis ut aliquis senex, qualis ille acherunticus et decrepitus Demipho, cum sit filio rivalis et ami-

(1) Vide *Bacchidas*, *Casinam*, *Mercatorem*.
(2) R. Dareste, p. 146.

cam, quam sibi de peculio paravit, ipse amet, eam pro solo patriæ potestatis iure properet sibi vindicare. Nam, neque Romæ, neque aliam apud gentem potest, qui se dehonestavit, a filio honorari paterfamilias. Absit hinc pudor, illinc deficiet pietas ; neque pater, nisi castus, iure castigat filium.

Non autem melius maritis quam patribus in retinenda potestate succedebat, neque vereor dicere, illa ætate, quod ad matrimonium attinet, altius insedisse morum licentiam. Non quod uxorem in manu mariti esse in desuetudinem omnino abierit, aut hic dotis dominus ex iure Quiritium esse desierit, cum nihil tale Athenis agatur ; sed ius illud Plautus, ut non abrogatum confirmat, ita non observatum queritur :

Ius suom ad mulieres obtinere haud queunt.
Casina, 91.

Dotem in primis, dotem ipsam Plautus odio habet et exsecratur, ut quæ mariti subvertat imperium :

Dote imperium vendidi.
Asinaria, 72.

exclamat senex Demænetus. Et merito; nam in venali matrimonio viri maiestatem necessario exstinctam fuisse quis miretur ? Neque ius, neque leges, neque Catonis eloquentia, neque quidquam obstat, velit nolit Rudolphus, quin mulieres, quæ maritum

« dote meruerunt (1) », « dote feroces (2) » et sui iuris fiant. Iam antea Nævius, cum novis illis moribus domos perturbatas videret, his verbis indignabatur :

Quasi dedita opera, quæ ego volo, ea tu mavis ;
Quæ ego nolo, ea cupis...
Nulla ad nos dotem adtollat !

Sed multo acrior et constantior in culpanda dote Plautus, ut hoc ponere possimus, in *Asinaria*, *Aulularia*, *Menechmis*, *Mercatore*, eam illi præcipuam fuisse curam, suam opinionem dotali instituto adversam coram populo profiteri. Dixi igitur et dico poetam nostrum, cum antiquos matrimonii mores Romæ in peius abire videat, et frustra illam mulierem requirat quæ *lanam facit et domum servat*, novamque ætatem instare prospiciat, qua mariti *uxoribus ancillari* (3) aut *uxoribus nubere* (4) solebunt, in pestem fato ingruentem summa vi invehi, eamque etiam atque etiam infamare, nunquam tamen apertius quam Megadori voce :

Meo quidem animo si idem faciant cæteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant domum,
Et multo civitas fiat concordior,
Et invidia nos minore utamur quam utimur,
Et illæ malam rem metuant quam metuunt magis,
Et nos minore sumptu simus quam sumus.

Aulularia, 434.

(1) *Mostellaria*, 281.
(2) *Menechm.* 680.
(3) Turpilius.
(4) Mart. *Epigramm.* VIII, 12.

Iam Demæneti res domesticas in *Asinaria* secundum Romanorum mores depingi quis neget ? Nam quid est quod nobis obiiciantur hic duo versus ?

Dotalem servom Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit quam tibi,
Asinaria, 73.

hoc etiam addito : « Demænetus, si paterfamilias esset, Saureæ iussa indiceret, non fraudem instrueret. » Quo nihil facilius est intelligi, neque ad hunc locum explicandum mores Græcorum arcessas opus est. Servus enim Libanus, cum Demæneto dicit, plus servo dotali in manu esse quam ipsi, quid aliud quam eum deridet et magis servum dotalem maritum esse, quam ipse est, significat ? Manum autem ambiguum nomen usurpat obsceno sensu et quem perspiciant summæ caveæ spectatores. Præterea multis de causis Demænetum remissius agere oportet : vecticulariam enim vitam degit ille pater et pecuniæ dotali inhiat, qua ornatus nefandam et illicitam voluptatem, filio in partem adiuncto, possit carpere, præsertimque timet ne res palam fiat « uxorisque oblatratricis (1) » ira debacchetur : et talia meditantem istum ex senatu ganeonem, patremfamilias postremissimum et nequissimum, potestate patria magnifice uti potuisse credideris ! Num etiam iuri græco magis convenit cuivis marito dicere servum dotalem in uxorem plus potestatis, quam ipse

(1) *Mil. Glor.* 682.

habet, habere (1). Quin, verba ipsa prisci Catonis nonne clarum lumen legentibus præferunt? Nisi quis nobis persuadere velit Græcorum mores a Catone etiam depictos fuisse his dictis : « Mulier magnam dotem adtulit, tum magnam pecuniam recipit quam in viri potestate non committat. Eam pecuniam viro mutuam dat; postea, ubi irata facta est, servom recepticiom sectari atque flagitare viro iubet (2). »

Nunc, quoniam non ex Græcia, sed ex Urbe vitam domesticam et quæ ex ea defluunt iura sumpsisse Plautum ostendimus, non sit difficile ab eodem fonte eum hausisse quæ de servitute et manumissione in fabulis occurrunt demonstrare. Nec magni operis sit probare, etsi « nullo loco in fabulis dominum ad prætorem cum vindicta adfuisse et ea servi capiti imposita, illum solemnibus verbis liberum ex iure Quiritium pronuntiavisse videamus (3) », non inde sequi servorum conditionem, aliam apud Plautum, aliam Romæ eius tempore fuisse; sed potius poetæ, per argumenta fabularum aut Romanorum mores, magistratus in

(1) In *Persa* rem legimus multo magis etiam mirabilem. Nam præterquam quod in hanc fabulam virgo libera inducitur, videmus hic servum, domi dominum, cui famuli serviunt et liberi viri blandiuntur et morigerantur. Qua data occasione versute scribit Naudet : « Romanos optimates se à proletario tam impudenter elevari esse passos, vix credas. Qui autem fieri potest ut atheniensi plebi ista placuerint ? » Secundum strictam illorum quos refellimus rationem, hanc fabulæ partem oporteat neque Romanis, neque Græcis adscribi. Quid igitur ?

(2) Ed. Jordan, p. 54.

(3) R. Dareste, p. 148.

scenam admittere non licuisse ; simul et tum in consuetudinem venisse servos extra ordinem interim manumitti, donec solemnia, si res postularet, intercederent ; et trapezitas, versuras, mutuum, pignus (1), advocatos sive iuratores a Plauto, quales sub oculis haberet, descriptos fuisse eadem ratione monstraremus, nisi nos huius libelli modus terris advertere proram admoneret ; tum hoc nos movet ne qua mora sit quin aliud argumentum ex Plauti verbis expressum refellamus, cuius ipsa mole, si eis qui illud afferunt credimus, nostra argumentatio obruta iaceat et dissolvatur.

Quod ita exponunt isti græci iuris patroni (2) : « Non omisit Plautus, cum *Casinam* Diphili in romanam scenam induceret, certiores facere spectatores, rem in Græcia secundum Græcorum mores agi, moribus Romanorum dissimiles :

Sunt heic, quos credo nunc inter se dicere :
« Quæso, hercle, quid istuc est ? Servileis nubtiæ ?
Servine uxorem ducent aut poscent sibi ?
Novom adtulerunt, quod fit nusquam gentium. »
At ego aio hoc fieri in Græcia et Carthagini,
Et heic in nostra etiam terra, in Apulia.
Maioreque opera ibi servileis nubtiæ
Quam liberaleis etiam curari solent.
Casina, Prologus, 67.

(1) Hæc verba « fundus pignori oppositus », quæ apud Plautum se dicit legisse Rudolphus, nullo loco invenias. Rursus apud Terentium legitur : « Ager oppositus est pignori ob decem minas. » *Phormio*, IV, 3. Cf. Costa, p. 260 sqq.
(2) R. Dareste, p. 152.

Quibus versibus adeo non opinione deiecti iacemus ut hos etiam, quos prætermiserunt isti, restituamus :

> Id ne vos miremini, homines servolos
> Potare, amare, atque ad scenam condicere :
> Licet hoc Athenis nobis,
>
> *Stichus*, 435 (1).

Illis autem duobus locis nostra opinio firmiter corroboratur, nedum contra nos quidquam valeant. Etenim, ob hoc ipsum quod scena a Romanorum moribus aliena est, spectatores, ne rem novam mirentur. ante admonet poeta ; *simulque profitetur, quidquid non notaverit esse insolitum, id patrio mori esse consentaneum.*

Ceterum alias quoque de græco iure clare agi clare significavit, cum verbum *græcari* pro comissari et potare sæpius usurpet etiamque in *Asinaria* (v. 184) sic loquatur :

> Quæ nos volumus uti, græca mercatur fide.
> Quom a pistore panem petimus, vinum ex œnopolio,
> Si æs habent, dant mercem.

Nova sane verba, si græco scriptori imputes ! Quæ tamen ipsa ex auctore Demophilo religiose transtulisse Plautum pro certo habere non dubitant. Quanquam ad id obtinendum tali modo versum interpretantur : « Mercem græcus mercator non amittit, nisi ante ei numerata fuerit pecunia (2). »

(1) Vide quoque *Curculionem*, 630 : « Servom antestari ! »
(2) R. Dareste, p. 154.

Errant autem : nam quocumque sensu hunc locum intelliges, sive in bonam partem trahis, ut post Turnebum Gronovius, sive, ut Naudet, in malam, *græca fide* ea quæ *græco emptori* habenda est fides, significatur. Quod Demophilus nullo modo scripsisset... si unquam vixisset.

Postremo animadvertendum est etiam Terentii fabulas legentibus hoc in mentem occurrere iuridicas facetias perraro in illis inveniri. Nonnulla quidem romanis moribus prorsus convenientia possis apud eum deprehendere, præsertim in iis quæ narrat Chremes in *Heautontimorumeno* (1), sed plerumque ea quæ iuris sunt depingere non laborat, et eius generis iocos, etiamsi vel parum curanti ipsa occurrant, tamen consulto prætermittere videtur, ut qui de iure perpauca disserat et semper ad æquum se referre properet. Scilicet quia aut iuris ille mediocriter consultus erat (2), aut progrediente ætate, morum facta fuerat mutatio ; denique non idem Terentius captat quod Plautus, neque iisdem morem gerit spectatoribus. Ex quo duo sequuntur, quæ notavisse dignum est, quorum alterum ad Plautum spectat, alterum ad Terentium. Hunc enim, ob id ipsum quod facetiis iuridicis abstinet, exempla græca religiosius imitatum fuisse iudicaveris, rursusque in illo, hoc, inter alia, pro-

(1) V. 497, 779, 784.

(2) Quod scribere licebit, non obstante *Eunuchi* prologo, ubi legum rudis ille Lucius, *Thesauri* auctor, ius a Terentio docetur.

prium esse et vere romanum, quod facetiis iuridicis distinctæ sunt eius fabulæ.

Neque aliter rem sese habotuere pisse existimandum est, si quis qui fuerint illi prisci romani, et quibus in curis perpetuo defixi essent, meminerit : quales illos nobis semper depinxit Horatius (1), ad pecuniam attentos et negotiis litibusque implicitos. Quorum clarissimum exemplum Cato ille Censorius, unius assis misere tenax, et in servis quam in seipso durior. Emere et vendere, locare et conducere, nummos rectis nominibus collocare pecuniasque unguibus et rostro defendere una illis erat cura et assiduus labor. Hinc durus animus et atrox :

Lupus est homo homini, non homo, quom qualis sit non gnovit.

Asinaria, 478.

Nempe, ut quælibet alia, ita maxime pecuniæ cupiditas hoc cognoscitur quod in omni re patefit, totamque mentem adstringit nec unquam relaxat. Quare, etiam cum ad fabulam audiendam corporibus adsunt, ad debitores et creditores suos cogitatione revolvuntur. Neque id ignorat poeta :

Vos omneis opere magno esse oratum volo,
Benigne ut operam detis ad nostrum gregem.
Eiicite ex animo curam atque alienum æs ;
Ne quis formidet flagitatorem suom !
Ludi sunt : ludus datus est argentariis.

Casina, Prologus, 21.

(1) *Epistul.*, II, 1, 102 sqq.

Quid igitur illum facturum fuisse speramus? Videlicet, quod semper in theatro accidit, populo eæ res proponentur quæ mentes gravibus curis sollicitatas ad eadem aliter depicta convertant; cumque comœdia ad risus movendos inventa sit, scenicam et parvulam quamdam fori imaginem a Plauto describi quid mirum? Prætores quidem, ædiles, tresviros capitales, recuperatoresque munus publicum, deminuta dignitate, obeuntes oculis subiicere nequit, sed eos post siparium adesse sentimus (1). Nec fabula intelligi potest, nisi eos esse noverimus a quibus auxilium petunt fraude oppressi aut decepti creditores, necnon aliquando ipsi fraudis et doli machinatores aut isti debitores qui, alieni æris meminisse pertæsi, « apud prætorem solvere (2) » soliti sunt. Eæ sunt etiam lentæ validorum lictorum virgæ (3) quos in durata Leonidæ cute sonantes exaudiemus; ii conceptis verbis iurabunt, qui postea scientes libenter periurabunt; eos emptores stipulatione se obstringere videbimus, qui dictis non stare iam decreverunt, tum alia parte, eos danistas pecuniæ mutuæ usuram exigere, qui, amantes adolescentes miserati, contra dominos cum ingeniosis servis consilia communicant (4). Asserentur in libertatem ante oculos nostros virgines olim expositæ, quas leno venali hospitio

(1) Costa, p. 24-28.
(2) *Curculio*, 680, 724.
(3) *Asinaria*, 555.
(4) *Mostellaria*, 580.

excépit, quasque patres ad pænitendum faciles, annuli deorum ope servati beneficio, suas agnoscere non dubitabunt. Apud nos orabunt subiti iurisconsulti, piscator et servus, uterque ad retinendum quod non suum est paratissimus, quos probus docebit arbiter non communes esse res inventas neque vidulum esse piscem. Quid plura? Romæ apud Romanos romana repræsentabuntur a Plauto nostro qui plaudi vult et vult reposci.

Neque ob id tantum suam præ se fert ille iuris scientiam. Nam modicus ex theatro percipitur fructus, ventremque latrantem plausus non placat et molam versare permolestum est.

Plautum autem poetam in altera etiam arte excellere non sine causa suspicamur, et, relicto theatro, iuridica instrumenta, libellos, tabulas ad usum imperitorum, sicut apud nos scribæ publici, componere. Nonne enim scribarum nomine poetas olim appellatos fuisse a Festo accepimus? Credibile est igitur Plauto forum transgredienti interdum ineruditum aliquem de turba litigatorum, postquam poetam digito sibi monstratum cognoverat, occurrisse, utque callidum sibi conscriberet syngraphum ab eo postulavisse. Idem postridie, cum composita ad conveniendum hora Plautum adiret, ita compellabat :

> Agedum, istum ostende, quem conscribisti, syngraphum
> ... Leges perlege.
> Nam tu *poeta* es prorsus ad eam rem unicus.
>
> *Asinaria*, 725.

Nunc quare ille scientiam iuridicam ostentaverit, in aperto est; nempe clientes in ipso theatro captabat, ut æris quidquid poeta deberet solveret idem scriba. Sic ex hominum vita duplex lucrum faciebat : nam ex ea et scenicam petebat materiem et victum sine quo ars eius scenica interiisset.

IV

UNDE SUMANTUR FACETIÆ IURIDICÆ.

Nunc e deverticulo rectum iter repetatur : postquam ultro declaravimus quo de iure Plautum toties has in chartas arcessamus, demum revertamur ad rem ipsam, scilicet ad iuridicas facetias. Quæ quo modo se habeant primum explanatum est : unde alantur nunc inquirendum est.

Iam ex iis locis qui occasione data supra citati sunt videre est omnia iuris civilis præcipua instituta transferri aut facetum in modum usurpari solere. Nonne tamen fieri potest ut ex quadam iuris parte sæpius quam ex ceteris mutuum petatur ? Quod scrutari operæ pretium erit et inde causas dignoscere cur hoc ipsum potius quam quidlibet aliud Romanis in mentem præcurrat. Ergo privati iuris instituta ostiatim pulsemus et evocata singula facetiis cursim includamus , prout res quæque apud probatos auctores suo ac peropportuno tempore superveniet. Tripartitam autem partitionem, utpote longo usu sacratam, sequi satius erit, et ordinate revisere personas, res, actiones.

PERSONÆ. Personæ sunt liberi homines aut

non liberi. Liberæ autem personæ congregantur in eas gentes quæ eodem sub nomine agnatos connectant. Tum gentes et diversis causis renovantur et præcipue iusto integrascunt matrimonio quod fit *liberum quæsendum* gratia, ut ait Ennius (1), *liberorum quæsundorum*, ut ait Plautus (2), *puerorvm creandorum* causa, ut dicit Horatius (3).

Iocandi quidem fere nulla hic ansa datur. Attamen, apud Plautum servi quidam aut parasiti, fictorum maiorum moribus freti, se iure suo quasi mures alienum cibum edere (4) aut crucem habere sepolchrom (5) profitebuntur. Scilicet illi, Fustitudina quadam aut Vaniloquidora gente oriundi, dum stemma comice sibi arrogant, ultra septimam cognatorum sobolem stirpis auctorem repetunt, novi homines quorum parasitando vixerunt et vapulando emortui sunt

Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos (6).

Agnatione autem et cognatione homines cum diis coniungi asserit (7) Marcus ille Arpinas, cuius regnavit gentilis Tullius, si iocanti ipsi fidem facis (8).

(1) P. 106 et 109.
(2) *Captivi*, 822.
(3) *Epist.*, I, 2, 44.
(4) *Persa*, 54.
(5) *Mil. Glor.* 375.
(6) *Persa*, 58.
(7) *De Leg.*, I, 7 et 8.
(8) *Tusc.*, I, 16.

Verum infecunda materia illa est. Nec multo magis servitute servisque colluditur, quod ne mireris. Namque et apud Romanos et apud omnes gentes quibus est usitata, servitus cum privatam publicamque vivendi consuetudinem fundaret, eo magis sacrosancta ducta est quo utilior videretur : quin etiam, quo iniquior eo reverentius habita est. Sane Titus ille Maccius non sibi temperavit quin servos in scenam induceret semelque captivum eum repræsentaret qui pro domino generosius se devoveat. Verum hæc et tanta virtus, quam servis postea lex ipsa, capitalem pœnam minata (1), imposuit, superbis dominis procul dubio valde placuit quibus Tyndarus ille laudandum fidei exemplar visus est. E contrario sæpius, Plauto volente, servos in theatrum prodire videmus improbos et stultiloquos, contemtos et ridiculos, sermonibus spurcis et pravis deditos voluptatibus, servitio denique suo deminutos homines. Quantum detrimenti servitium animis secum ferat, utrum Plautus nescivit an nescire voluit ? Nescio. Quidquid id est, ita nimia festivitate servi apud illum induuntur ut recentiores, dum legunt, animum colligant et seria secum pœne inviti reputent.

Ceterum Romanorum ius servos usque omittit dum, civitatem ingressurus, libertus ille evadat qui res fuit adhuc : tunc civis quidam, libertatis assertor, apud prætorem servum vindicta contin-

(1) Tac. *Ann.*, XIV, 42-45.

get et liberum esse affirmabit, nihil domino contradicente. Hanc profecto causæ liberalis cærimoniam, quam *Curculio* et *Pœnulus* commemorant, plurimi sunt scriptores qui meminerint. Servus ille qui libertatem spirat, nunc liber est qui duro plagiario reclamat (1) ; nunc aut Urbs, aut respublica aut res populi in libertatem vindicatur (2). At, si Romam servientem æquo animo feras, quomodo non toleres « *Curios* assertoresque Camillos (3) » ? Immo, cum eodem præeunte poeta terrarum orbis ipse vivo Nerone servus fuerit, venerandus erit annus ille

Asserto qui sacer *orbe* fuit (4).

Audax magis Horatius noster, cui mens gravis festiva specie prætegitur : nempe, antequam Seneca diceret *Servi sunt ? Immo conservi*, iam se ipse, cum Davo locutus, rogabat num civis ille liber esse posset cuius serviret animus :

Tune mihi *dominus*, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor, quem *ter vindicta quaterque*
Imposita haud unquam misera formidine privet ?
Sat. II, 7, 75.

Res. Res noverunt consulti, quatenus propter eas proxima aut media iura personis nascuntur : tum illa iura a familiari iure de quo supra dictum

(1) Mart. *Epigr.*, I, 52 ; vid. supra, p. 24.
(2) Cic. *De Rep.*, I, 32 ; *De Orat.*, II, 23 ; *Epist.* 175 et 812.
(3) Mart. *Epigr.*, I, 24. Cf. Ovid. *Remed. Amor*, I, 72, 73.
(4) Mart. *Epigr.*, VII, 63.

deo distinguuntur quod pecuniæ certæ æstimari possunt. Qua de causa, eadem Romanorum et in pectore et in mente altius sedebant. Eadem et scriptores romani, etiamsi naturali ingenii impetu non respexissent, sæpius tamen induxissent in chartas, quo magis legentes delectarent. Innumerabiles igitur locos huc advocari liceat, inter quos parce excerpta eligentur.

Nullum in res ius propius aut maius est quam quod prudentes *dominium* et litterati *mancipium* (1) vocaverunt. Nempe dominium iura omnia complectitur, ius *utendi*, *fruendi*, *abutendi*, scilicet *usum*, *fructum abusum*. Quæ cum exacte distingueret, Marcus Tullius per iocum asserebat ita inter amicos, iubente amicitia, rem sese habere ut inter dominum et rem, iubente dominio : quod supra lectum est (2). Verum et Cato Censor nativo ingenii acumine iam fere introspexerat quæ dominii propriæ simul et distinctæ facultates essent, cum diceret : « Suum cuique per me *uti* atque *frui* licet » (3).

Noli tamen dominium cum *possessione* confundere : facile enim fucum facit vernacula nostra quæ per trita hæc ac vulgaria *propriété*, *posséder*, res omnino dissimiles miscet atque implicat. Verbo igitur dicam de possessione quæstionem esse de

(1) Dominium scilicet mancipatione aut mancipio plerumque comparatur. Cf. *Précis des Institutions*... May et Becker, p. 108 et 109.

(2) Vid. sup., p. 23.

(3) Fragm. Meyer, p. 169.

facto. Nihilominus necesse est possessorem sese defendere posse : verum cui nullum est ius, nulla actio : quare interdicto sese ille defendet cum prætor quid faciendum sit iusserit, quid non, vetuerit. Ergo possessores compellat prætor, exorsus ita : *Quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab alterutris possidetis*, etc... Quæ verba Terentius lepide fecit sui iuris : nempe apud illum quidam amore irretitus servum sic hortatur :

> Hanc tu mihi, *vel vi*, *vel clam*, *vel precario*
> Fac tradas (1).
>
> *Eunuchus*, II, 8.

At prætor præscribit alias : *Uti nunc possidetis, quominus ita possideatur*, etc... Lælius itidem, de gemino sole a Scipione in consilium adhibitus, amicum hortatur ut prudentis Manilii arbitrio rem committat :

> Nisi forte Manilius *interdictum* aliquod inter duos soles putat esse componendum, ut *ita cœlum possideant*, *ut uterque possederit* (2).
>
> *De Rep.* I, 13.

Marci Tullii pace dicam : ille, si nusquam sollertior iocorum opifex quam tunc evasisset, nullo pacto, nostra quidem sententia, salinarum aut urbanitatis possessionem sibi vindicare potuerit. Ad Volumnium enim Cicero scribebat, sed ridicule :

(1) Vid. sup., p. 31.
(2) Cf. Id., *id.*, III, 10.

Parum diligenter *possessio salinarum* (1) mearum a te *procuratore* defenditur... Urbanitatis *possessionem* amabo quibusvis *interdictis* defendamus, in qua te unum metuo, contemno ceteros.

Ad. Fam. VII, 32.

Res autem comparari possunt et mancipio et usu : quod nos modo Flaccus docebat (2). Comparantur et traditione. Hos acquirendi modos latini scriptores vel hominibus intrepide apposuerunt :

Romanus...
Emancipatus feminæ.

Hor. *Epod.* IX, 11-12.

Nunc ego, mulier, tibi me *emancupo.*

Plaut. *Bacch.* 58.

Totum denique hominem tibi ita *trado* de manu ut aiunt, in manum tuam istam.

Cic. *Ad. Fam.* VII, 5.

Nam pugnis *usu* fecisti tuum.

Plaut. *Amphitr.* 219.

Unum est tamen quod et Romani et omnes homines deplorare possint : scilicet, omnium bonorum pretiosissimum, vita non res est mancipii : quam nemini in æternum et citra litem fuisse concessam philosophus idem ac poeta animadvertit :

Vitaque *mancipio* nulli datur, omnibus *usu.*

Lucret. *De Nat. Rer.* III, 979.

Nec satis :

(1) Ambigue dicuntur hic *salinæ*. Translatam possessionem non semel reperies apud Cic. *De Orat.*, III, 27 et 31.

(2) Vid. sup., p. 27

Nihil dat fortuna *mancipio*.
Sen. *Epist.* 72.

Nunc rursus et propter res iterum, iura media nascuntur hominis in hominem, scilicet *creditoris* in *debitorem*, qui vinculo nectitur donec *solvendo satisfecerit*. *Obligantur* debitores vel delictis vel pactis. Pacta fuerunt antiqua *nexum*, *mancipatio*, *sponsio*; recentius *litteris* pactum factum est, cum patresfamilias in *tabulas* aut *codices accepti et expensi nomina* ferrent aut referrent. Factum est et *emptione venditione*, cum emptoris fides venditoris *dictis* niteretur; factum est et *locatione conductione*, cuius pretium *merces* fuit; factum et *commodato*, cum res præbetur *utenda*, et *mutuo*, cum, locata pecunia, locationis *merces*, *usura* aut *fenus*, tempore certo redditur: tum fieri potest ut creditor, debitori diffisus, *pignus* ab illo sibi exigat.

Multas ultra modum ceras exaret ille qui recolere velit quoties iuridica ista usurpata sint a scriptoribus de alia re locutis, cum stylum acuere aut hilarare studerent. Specimina tamen pauca expromi libebit.

Et tu occasionem *obligandi* me avidissime amplecteris et ego nemini libentius *debeo*.
(Voconius Romanus Prisco commendatur.)
Plin. Iun. *Epist.* II, 13.

Nil in te scripsi, Bithynice; *credere* non vis
Et iurare iubes: malo *satisfacere*.
Mart. *Epigr.* XII, 78.

Solvit pro duce vota suo.
Mart. *Epigr.* VIII, 4.

Debitorque voti.

Id. IX, 29.

Debita poscebat iam sibi vota deus.

Id. IX, 31.

Nunc quod relicuom restat volo *persolvere*
Ut expungatur *nomen*, ne quid *debeam*.
(Prologus Auxilium de fabula explicanda.)

Plaut. *Cistell.* 190.

At vero, inquam, tibi ego, Brute, non *solvam*, nisi prius a te cavero amplius *eo nomine* neminem... petiturum.

(De ipso Dialogo qui incipit.)

Cic. *Brutus*, 5.

Nunquam magis facio *nomina*, quam cum dono.

Sen. *De Vit. beata*, 24.

Hoc tamen opus *in acceptum ut referas* nihil postulo.

(Ad Brutum de ipsis *Paradoxis*.)

Cic. *Paradoxa*, Præfat.

In acerba omnia summam quamdam vim ac fortitudinem illi uni (philosophiæ) *acceptam* referant necesse est.

Cic. *Consolatio*, 12.

Huic (Fortunæ) omnia feruntur *accepta* et in tota ratione mortalium sola *utramque paginam* facit.

Plin. *Hist. Nat.* II, 7.

At tu *dictis*, Albane, maneres.

Verg. *Æneid.* VIII, 643.

Quæ steriles facit atque homines in ventre necandos
Conducit.

(De obstetrice.)

Iuven. VI, 597.

Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia *vendens*, improbus iras
Et verba *locat*.

Sen. *Herc. Fur.* 171.

Consumptis opibus vocem, Damasippe, *locasti*
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Iuven. VIII, 185.

Si placuit *mercedem* ponere linguæ.
Iuven. VII, 149.

Si pudoris egeas, sumas *mutuum*.
Plaut. *Amphitr.* 664.

Usuram eius corporis cepit sibi.
Plaut. *Amphitr.* Prologus, 108.

Uxorem *usurariam*
Perinde est præbere, ac si agrum sterilem fodiendum [*loces*.
Plaut. *Amphitr.* 899.

Natura quidem *usuram* vitæ dedit, tanquam pecuniæ, nulla præstituta die.

Cic. *Tusc.* I, 39.

Et graviter feras te quod *utendum* acceperis reddidisse.

Id. *id.* III, 17.

Natura enim *usuram* nobis vitæ dedit, tanquam pecuniæ, nulla præfinita die. Quod si, cum libet, sua repetit, ea condicione *commodata* ut restituenda sint, cur accusatur (1)?

Cic. *Consolatio*, 9.

Vita data est *utenda*; data est sine *fœnore* nobis
Mutua, nec certa *persolvenda* die.
Ovid. *Consol. ad Liviam*, 370.

Nos duo quasi *pignora* reipublicæ retineri videmur.
(De Pompeio ac de se ipso.)
Cic. *Epist.* Ad Att. I, 19.

Hac nos patria lege genuit... ut plurimas et maximas

(1) Sic Bossuetus : « La nature... nous fait *signifier* qu'elle ne peut pas nous laisser longtemps ce peu de matière qu'elle nous *prête*... »

nostri animi... partes ipsa sibi ad utilitatem suam *pigneraretur.*

Cic. *De Rep.* I, 4.

Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemquem *pignerari* solet.

Cic. *Philipp.* XIV, 12.

Actiones. Omnia quæ superioribus paginis revisimus iura ad nihilum recidant nisi præscriptionibus aliis fulta sint quæ repugnantes vincant et iniustos iusta vi debellent. Inde actiones.

Antiquitus constitutum est omnes actiones magistratum primo et postea iudicem subire : *ius est iudiciumque*, ut ait Horatius (1). Postquam actionem certam petitori prætor in iure concessit, *sub iudice lis est* (2). Est autem cum iudex *arbiter* dicitur : quare si philosophorum doctrinæ in disceptationem venerint, rem Carneades fortasse diiudicabit « tanquam honorarius arbiter (3) ». Interea, qui petitur iam *reus* dicitur : quo fit ut, si quis numini voto se obligaverit, cum res devota a Deo repeti possit, ille vere sit

voti *reus.*

Verg. *Æn.* V, 237.

Fieri tamen potest ut alteræ partes liti ipsæ adesse nequeant : tunc illis per *cognitorem* primis temporibus et insequenti ætate per *procuratorem* repræsentari licuit. Igitur Marcus Tullius, cum se obru-

(1) *Sat.* II, 1, 82. Cf. Plaut. *Menech.* 493.
(2) Hor. *A. P.* 78.
(3) Cic. *Tusc. Quæst.* V, 41.

torum Siculorum *cognitorem* (1) profiteretur, non proprio, ut Horatius (2), sed translativo sensu usus est. Neque aliter facetum in modum Brutus, pœne incipiente *De claris Oratoribus* dialogo, Attici se procuratorem fore prænuntiat, quo tutius ea solvantur quæ Marcus Tullius exigentibus auditoribus pollicitus est :

Mihi quoque, inquit Brutus, et exspectanda sunt quæ Attico polliceris ; etsi fortasse ego a te huius *voluntarius procurator* petam quod ipse cui debes se incommodo exacturum negat (3).

Brutus, IV.

Ne tamen credas quavis die agi posse aut omni tempore prætori fari licere. Sunt dies cum « tria verba silentur » (4), nefasti scilicet. Tunc vacant prætores, iudices, rei, patroni : nec tamen vacant advocati illi, « comitiales meri » et medio in foro cubantes, quos Plautus derisit :

Nam istorum nullus *nefastust.*

Pœnulus, 581.

Fac igitur dies sit fastus et lege agi possit. Ecce reum petitor compellat et in ius ire iubet, pronuntiatis solemnem in modum his verbis : *In ius te voco.* Quam cærimoniam et Plautus in scenam sæpe induxit et Martialis non semel est recordatus :

(1) *Divin. in Cæc.* 4.
(2) *Sat.* II, 5, 38
(3) Grandis hic pagina eademque facete iuridica devolvitur.
(4) Ovid. *Fast.*, I, 47.

In ius, o fallax atque inficiator, *eamus*.
Epigr. I, 103.

Sit tandem pudor : aut *eamus in ius*.
Epigr. XII, 97.

Quod si reus non lubens compellantem secutus erit, ad prætorem ille rapietur nulla interposita mora atque etiam, si vi resistat, « obtorto collo (1) » : procul dubio qui tunc inter se luctantes litigatores media in via offendat, meram comœdiam agi credat. Noli igitur mirari si T. Maccius rixam eam in theatrum sæpius ac vivide transmiserit (2). Præterea una est formula quam neque nobis his in chartis neque petitori in vocatione omittere licet : nempe, antequam vis adhibes, præsentes cives ad testimonium, vulsa aure, invocare debes, scilicet *antestari*. Quod neque omisit Phædromus cum apud Plautum Therapontigonum in ius ambulare iuberet, neque parasitus Saturio cum Dordalum lenonem ad prætorem compelleret, neque, obvio veniente adversario, amicus Horatio « notus nomine tantum » :

Ambula in ius. — Non eo. — *Licet antestari ?* — Non [licet.
Curculio, 624.

Age *ambula in ius*, leno. — Quid me in *ius vocas ?*
Illei apud prætorem dicam : sed ego *in ius voco*.
— *Nonne antestaris ?* — Tuan' ego causa, carnufex,
Quoiquam mortali libero *aureis adteram ?*
Persa, 738.

(1) Plaut. *Rud*. III, 6, 22.
(2) Vide exempli causa *Aulul*. 617, *Pœn*. 1296. Cf. Emilio Costa, 445-447.

Licet antestari? — Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in ius...
Hor. *Sat.* I, 9, 76.

Nec non fieri potest ut reo neque ire neque rapi in ius libeat: tum *vindicem* præstare potest, civem scilicet qui eius loco liti adsit et rem totam iam abhinc suscipiat. Vindex igitur Deus ex machina qui intricatas tragœdias scriptoris loco enodat: verum, ut ut ait Horatius,

Nec deus intersit, nisi dignus *vindice* nodus.
A. P. 191.

Vindex et ille liberalium artium patronus qui dicati libri partes tuebitur. Nec dubium quin Valerius Martialis opus suum imbecillo litigatori adsimilet, dum hæc conscribit:

Indice non opus est, nostris nec *vindice* libris.
Epigr. I, 53.

atque alias similiter:

Cuius vis fieri, libelle, munus
Fert via tibi *vindicem* parare...
Illo *vindice* nec Probum timeto.
Epigr. III, 2 (1).

Ponamus nunc partes vocatas eo ipso temporis articulo ad ius ire nolle, posterius velle: conceptis verbis inter reos dies certa statuetur qua apud prætorem coeant: atque itidem si, postquam primo apud eum præsentes adfuerunt, res in aliam diem

(1) Vide etiam III, 91.

dilata fuerit: tunc *vadimonium* fit. Anne autem reputas quot et quam crebro vadimonia concipiantur, modo inter sese amantes non ad raucas disputationes, sed lenes ad susurros compositam horam destinaverint? At, quia epheborum partes delicate tutatur, noster ille Plautus et oculis intueri et stylo depingere virgines ac iuvenes eos gestit qui potius de amore litigant quam lites amant. Accommodes igitur aurem et Phædromo et Planesio:

... Quo Venus Cupidoque imperat suadetque amor.
Si media nox est, sive est prima vespera,
Si *statu' condictus cum hoste intercedit dies*,
Tamen est eundum, quo imperant, ingratiis.
Curculio, 3.

Ubi tu es, qui me *convadatus Veneriis vadimoniis?*
Ubi tu es, qui me libello Venerio *citavisti*? ecce me.
Sisto ego tibi me, et mihi contra itidem te ut sistas suadeo.
Curculio, 170.

Nequaquam profecto Phædromi illa verba tibi liquida venient, nisi prius compertum habueris ita romana lege esse constitutum ut, si quem hostis citavisset, lis ea civium lites antecederet. Nonne autem vere romanum est amatorum nugas XII Tabulis tantummodo explanari posse?

Pergamus tamen litem se devolventem persequi. Demum partes ambæ convenerunt. Fac de dominio agatur. Uterque igitur reus, vindicta aut festuca armatus, rem manu contingere aut in ipsum fundum

deduci solent, ubi solemnia verba pronuntiant (1) ; quæ cærimonia *manuum consertio* vocatur et verum illud certamen repræsentat quod olim homines, nondum in legitimam societatem redacti, ferro agebant. Eo tempore, si credas Ennio

> Non ex iure *manum consertum*, sed mage ferro
> Rem repetunt.
>
> *Fragm.* p. 41.

Nec non iure suo Gellius, cum istum versum referret (2), grammatici cuiusdam voce addebat : « Tu velim credas mihi Q. Ennium didicisse hoc non ex poeticæ litteris, sed ex iuris aliquo perito. »

Tandem litigatorum alter, vel *confessus*, vel *iudicatus*, litem perdidit et alteri intra triginta dies satisfacere debet. Quod nisi fecerit, tantummodo restat ut lata sententia re confirmetur. Scilicet qui causam obtinuit, si debitor nihil habuerit unde possit æs alienum solvere, illum ipsum iudicatum (3), iniecta manu, in carcerem privatum abducet : quem ad modum Artemona deprensum apud meretricem maritum, in domum coram populo abripuit, dum Demænetus ille coniugialem lectum verum sibi carcerem haberet et comice prædicaret :

> Male cubandumst : *iudicatum* me uxor abducit domum.
>
> *Asinaria*, 914.

(1) Vid sup., p. 30.
(2) *Noct. Att.* xx, 10. Eundem versum Marcus Tullius non semel citavit.
(3) Cf. Plaut. *Menæch.* 21.

Sin rursus patrimonium possederit iudicatus, proscripta bona sub hasta venibunt. Scilicet auctioni præibit « præco facetus » (1), non semper tamen ita dicax ut Messenio in *Menæchmis* (2) : ac tandem, a sectore pensione facta, forsan creditor ne totam quidem unciam recipiet, adeo satius est exspectare te et sustinere, etiam si debitores Deos alter Domitianus habeas. Quod testatur Martialis :

> Quantum iam Superis, Cæsar, cœloque dedisti
> Si repetas et si creditor esse velis,
> Grandis in ætherio licet *auctio* fiat Olympo
> Coganturque Dei vendere quidquid habent,
> Conturbabit Atlans, et non erit uncia tota
> Decidat tecum qua pater ipse Deum...
>
> *Epigr.* IX, 3.

Ne plura de actionibus. Rem enim longius producere sit odiosum : et tot et tanta præbent scriptores ut modum tandem sibi imponere necesse sit. Præterea satis multa producta sunt ut iam legenti liqueat primum unamquamque iuris partem translationi aptam fuisse, deinde ex omnibus institutis vindicationem præcipue a scribentibus familiariter requisitam fuisse. Qua de causa res ita se habeat, nimirum facile animo concipies. Nempe et omnes actiones et præter alias vindicatio, propterea quod candidum et quasi puerile quiddam fovebat et oculis ipsis tanquam læta scena videbatur, summo ingenio viros et doctrina vulgus præcurrentes poetas

(1 Mart. *Epigr.* I, 85.
(2) V. 1064.

aut philosophos stupefactos simul et ridentes attraxit retinuitque, velut si prisca et iam subobscura comœdia coram ageretur. Nec non idem de ceteris quod de actionibus dici potest. Ius enim Romanorum, si quis universum consideraverit, non æquis passibus, ut ita dicam, ceteras disciplinas consecutum videbitur. Dum, græcorum exemplarium gratia, omnes doctrinæ quasi citato pede in melius irent, ius ita caute pristinam formam immutabat et lente ad finem suum progrediebatur, ut quod Marco Tullio vivente adhuc nascebatur, tunc cum litterarum disciplinæ iamdiu nocte profunda sepultæ iacerent, nitido splendore demum refulserit.

V

COLLIGITUR PAUCIS

Nunc ex tanta locorum in unum convenientium multitudine licet quædam colligere ad id quod probare statuimus, confirmandum ; cujus postea et sensum interpretari et causas exquirere in animo habemus.

Ac primum apparet eas, quas initio appellavimus facetias iuridicas, apud latinos scriptores fuisse usitatas, quorum plerosque ex iuris civilis scientia ea sumpsisse, quibus res remotissimas ab iure civili significarent, legentibus manifestum est ; cumque nulla pars sit iuris in quam non incurrerint, plura tamen eos ex actionibus, quam ex ceteris iuris partibus abstulisse. Neque rerum, quas intelligi volunt, etiam vulgarium, ullus est delectus, infinitaque est regio cuius terminis facetiæ iuridicæ includantur : quanquam in philosophiæ, dialecticæque et morum scientiæ fines ius plerumque derivatur.

Forsan aliquis dixerit nos in hoc inanem operam insumpsisse, et, curiosæ vanæque eruditionis studio indulgentes, nihil quod Romanos homines depingat et vere romanum sit invenisse, similiter-

que fieri posse ut quis, postquam cuiuslibet nationis scriptores legerit, præsertim nostros, plurima colligat connectatque, et in bibliothecas, veluti messem in horrea, recondat. Nos quoque, quod ad litteras attinet, multos eius generis locos ex nostris scriptoribus excerpi posse non ignoramus : ut ex Antonii Loysel *Institutis iuris consuetudini accommodatis* quid ad sermonem popularem informandum valuerit ius antiquum aperte demonstratur. Sed multo operosior esset in aliis gentibus, quam Romæ, talis indagatio, nec nisi permultas regiones pererranti præda contingeret : quæ contra ex omnibus partibus latinos scriptores legenti sponte occurrere videtur. Ceterum apud nostros, qui sexto decimo et septimo decimo seculo floruerunt, nonnullas offendimus iuridicas facetias : nam si libros Stephani (1) aut Pasquieri (2), ut agros intentus prædæ venator, perscrutari tentares, non inanes reportares manus. Neque nihil etiam in Satira Menippea invenias, sed quosdam insignes hujusmodi locos :

Mais j'en connoy plus d'une douzaine en nostre ville à qui la peau et la plume démangent et n'attendent qu'un

(1) « Mais tous les courtisans cèdent à Ulysse en une chose pour laquelle ils me font grand pitié, c'est que Ulysse alla aux enfers et en revint pour en rapporter des nouvelles; eux, quand ils y sont une fois, on a beau les *adiourner à son de trompe*, iamais on en voit un seul *comparoir.* » *Dialogues du langage françois italianizé.*

(2) *Lettres.* Ed. Laurent Sonnius, I, p. 14. Totam quoque legere est Epistolam ad Mariliacum. *De amore edicta*, I, p. 78 sqq.

compulsoire (1) pour faire extraits et vidimus (2) de leurs Ménippées.

Satire Ménippée. Deuxième avis de l'Imprimeur (3).

Qu'eussé-je peu faire davantage, sinon me donner aux diables par *engagement et avancement d'hoyrie* comme j'ay faict.

Satire Ménippée, p. 81.

Proximo seculo protinus sese offert *l'Arrêt Burlesque*, Bolæi iuridica facetia, non insulsa quidem, sed longiuscula (4) ; præterea fabula illa, cui nomen *Les Plaideurs*, in qua Racinius, cum perditam litem moleste ferret, iudiciorum formulas et horridum fori eloquium non omisit deridere.

Si je leur donne temps, ils pourront *comparaître*.
Ça, pour nous élargir, sautons par la fenêtre.

Les Plaideurs, I, 3.

Hé ! *par provision*, mon père, couchez-vous.

Id. I, 4.

Quoi ! l'on me mènera coucher *sans autre forme !*

Id. I, 4.

At nos a Roma longius abesse quis non senserit ? In Gallia enim non nisi præter solitum existunt facetiæ iuridicæ ; necesse est dari quasi forensem

(1) Sommation.
(2) Productions revisées et amplifiées.
(3) Ed. Jouaust, 1876, p. 25.
(4) Vice versa (quod multo magis mirari liceat) eadem ætate nonnunquam ædiles ipsi et in ipsis pronuntiandis edictis ambigua verba emiserunt. Scilicet : « Considérant les plaintes qui nous ont été faites de la coutume scandaleuse observée en la dite ville de Dijon d'une assemblée d'Infanterie et Mère-Folle qui est vraiment une *mère et pure folie*, etc... abrogeons, révoquons et abolissons la dite compagnie d'Infanterie et Mère-Folie. » (Edit du 21 juin 1630.)

occasionem : aut res agitur iuridica, aut a iurisconsulto vel ad iurisconsultum est scripta. Denique rara est et curta vena, quam non nisi in illius insulæ solo invenias, quæ iudicibus et causidicis celebrata, « Civitas » appellatur, circa basilicam et Sanctum, quod Ludovicus nonus ædificavit, Sacellum.

Nec rara modo vena est, sed exilis et a qua vix pretiosum quidquam eruas, cum apud nos facetiis iuridicis semper aliquid ieiunum insit et enorme et mancum, ut clericos procuratorum audire credas, in pulverulenta et male olenti officina, obsoletis et, ut ita dicam, canescentibus facetiis fastidiosum scribendi laborem solatos et sibi plaudentes. Ipse etiam Racinius nonne aliquid de gloria sua videtur detraxisse cum verendum Cornelii versum risibus committere sustinuit, scripsitque :

Ses rides sur son front gravaient tous ses exploits.
Les Plaideurs, I, 5.

Ac videto ut Andegavum illum, licet subtilis et venusti ingenii poetam, Ioach. Bellaium depravet et transversum agat ista rerum iuridicarum irrisio :

Montigné (car tu es aux procès vsité)
Si quelqu'un de ces dieux qui ont plus de puissance,
Nous *promit* de tous biens paisible iouissance,
Nous *obligeant* par Styx toute sa déité,

Il s'est mal enuers nous de *promesse acquitté*
Et deuant Juppiter en deuons *faire instance :*
Mais si l'on ne peut faire aux Parques *résistance*,
Qui *iugent* par *arrest* de la fatalité,

Nous n'en *appellerons*, attendu que ne sommes
Plus *priuilegiez*, que sont les austres hommes
Condamnez, comme nous, en pareille *action :*

Mais si l'ennuy vouloit sur nostre fantaisie
Par vertu du malheur faire quelque *saisie* ,
Nous nous *opposerions* à l'*exécution.*

Regrets. Sonnet 55.

E contrario, cum Bellaio latinum alterum poetam, lyræ satiræque etiam deditum, Flaccum conferamus. Ille quidem nitidus est et pinguis, ideoque in lyra minus flebilis et in satira minus acer ; at quam libere in illo ridiculi iuris foro spatiatur et, Musam huc illuc vagantem secutus, undique et opportuna rerum vocabula et urbanos sales et iucundas decerpit descriptiones (1). Quod in satira maxime apparet ; nam in epistulis fere nihil iuridicum occurrit : in his Flaccum alterum invenimus iam resipiscentem, et qui aliorum hominum mores et habitus minore cura, quam se ipsum, consideret raroque in via et foro versetur. In satira autem, quotiescumque eos quibuscum vivit deridere et corrigere sibi proponit, quam multa ex fori eloquio et iuris solemnibus verbis ad usum suum vertere solet ! Et sive ipsius iuris formulas (2) perverse imitetur, sive prudentes cum suis responsis ludibrio habeat (3), sive etiam in heredipe-

(1) Vide Benech, p. 1-142.
(2) *Malum carmen, Sat.* II, 1. *Intestabilis et sacer esto,* II, 3, 179-181. *Ergo consulere et mox respondere licebit, id. id.*, 192.
(3) *Sat.* II, 1.

tas (1) impetum faciat, aut grandiore eloquentia Zenonem paria esse peccata profitentem confutet (2), nunquam non ad ius se conferre gaudet, nec sine quadam voluptate. Nam verbis iuridicis ita apte et scienter utitur ut apud eum « caupo nautæque » in eodem versu (3), sicut in prætoris edicto, copulentur, et iuris iudiciique (4) diligenter fiat distinctio. Iam quis alius rei testamentariæ peritus Staberi testamentum doctius, quam Flaccus noster (5), composuisset? Qui cum pecuniæ usuram mercedem appellat (6), hac una voce se intellexisse significat, usuram, quod ad pecuniam, locationis esse mercedem. Uno verbo, fidicen ille, auctore patre, quem coactorem et bonum patremfamilias fuisse ex filio audimus, iuris civilis scientiam diligentissime edoctus est, neque eam in condendis versibus obliviscitur, nedum serio et « abiectis nugis » scribat :

Intereant si
Aut valeo stare, aut novi civilia iura.
Sat. I, 9, 39.

Igitur, ut ex aliis scriptoribus, ita sæpius ex Horatio facetias iuridicas apud Romanos usitatas, et ad eos delectandos quasi natas fuisse edocemur ;

(1) *Sat.* II, 5.
(2) *Sat.* I, 3.
(3) *Sat.* I, 5, 4.
(4) *Sat.* II, 1, 82.
(5) *Sat.* II, 3.
(6) *Sat.* I, 2, 14 ; I, 3, 88.

quæ nihil aliud sunt nisi popularis quædam scribendi forma, qua, quod quis demonstrare intendit, clarius efficitur et migratione verborum in alienum domicilium menti iucundius ; nec, sive placet aut displicet, sive bene aut male cum rebus convenit, cum admiratione legentium usurpatur.

Præterea modo translatis verbis et rebus, modo apertis iocis ad ornandam orationem multum confert et ab nullo litterarum genere abhorret, cum apud cuiuscumque ætatis auctores, a Lucilio (1) usque ad Plinium Minorem occurrat, neque magis a sermone quam a carmine, a lyra quam ab epistola, a tragœdia quam a satira aliena videatur. Non quod omnibus æque accepta sit ; nam certi quidam scriptores ad hunc aliud dicendi, aliud significandi modum usurpandum propensiores sunt, in primis Plautus et Flaccus ; sed Tullium maxime in tali genere dicendi lascivire constat.

Nec mirum : etenim Tullius, quamvis non sit proprio et romano sensu iuris consultus, præsertim si ad P. Mucium Scævolam et alios eius æquales respicias, sed patronus tantum et quidem acerrimi ingenii, quamvis nunquam responsa reddiderit neque cautiones scripserit, tamen, ut patronus, multis eius temporis causidicis prudentior fuit, intellexitque, sicut ex tribus *De Oratore* libris patet, et contendit, iuris civilis scientiam ad informandum oratorem esse necessariam ; declarant etiam

(1) Cf. Gell *Noct. Att.* II, 24.

eius in civilibus causis orationes, ut *Pro Quinctio*, *Pro Roscio comœdo*, et illa ante alias *Pro Cæcina*, eum iuris quod tum in usu erat, fuisse disertissimum. Sagacius quoque æqualibus suis, utpote philosophus, quid ad ius ordinandum desideretur prospicit et cum perpaucis quibusdam, inter quos princeps Sulpicius, ius civile in artem redigendum esse iam tum sentientibus, convenit. Quid quod in uno libro nihil aliud nisi argumenta et disputandi rationem in iure et in iudicio usitatam in genera describere tentavit? Quanquam, et tradendæ arti impar et ingenio diffidens, huc et illuc in contrarias partes, modo romanus civis, modo græcus philosophus, quasi distrahitur : quotiescumque ei, quo ad græcos philosophos trahitur instinctu, obsequitur, ad alta tendit et supra varias leges ab hominibus inventas quædam iuris præcepta a deo in omnium mentibus inscripta perspicit et humani generis communes æternasque leges divinat et confitetur ; quando autem ad Romanorum mores forumque relabitur et, innato genti latinæ studio indulgens, utilia magis quam honesta spectat, ad humum deprimitur et, sublimis contemplationis oblitus, ad ius illud mutabile et a mortalibus institutum, quale Romæ id temporis vigebat, revertitur ; nec usquam apertius quam in libris *De Legibus*, illa animi inconstantia et inter se pugnantium opinionum contentio deprehenditur. Quæ omnia si in unum colligas atque imprimis Ciceronem tam dicacem quam eloquentem fuisse memineris, eun-

dem sæpius ac copiose facetiis iuridicis usum fuisse facile intelliges : iuris enim scientia imbutus est, et in foro, ut ipsius verbis utamur, habitat, ornamentaque in scribendo et ubertatem affectat, necnon in dicendo ingeniosam quamdam et brevitati adversam redundantiam ; tum, qui risum movet, eum placere non ignorat. Rursus a Græcorum philosophia non ita remotus est, ut omnes patrii iuris formulas et ritus sine delectu, ut res sacrosanctas, veneratione prosequatur. Itaque ut plurima ad ius quod tunc in usu erat, pertinentia facetiis derideret inductus est ; quæ facetiæ, plerumque iocosæ et sine aculeis, non sunt corrigentis homines aut incusantis, sed ridentis, et ita ridentis, ut aliquid utile inde percipiat, id est causam obtineat : ut dici possit, quoties quidquid in iure patrio maxime, ut ita dicam, romanum erat, ludibrio haberet, eum vere et excellenter romanum exstitisse.

In summa, Tullio, Flaccoque et Plauto ad causam adhibitis, nobis sic rem concludere licet, facetias iuridicas in litteris acceptas fuisse et hominum sententiis semper comprobatas, scriptoribus hanc tritam et placendi et popularem gratiam sibi conciliandi viam capessentibus ; denique tale scribendi ornamentum nunquam non celebratum fuisse et in orationis locis merito annumeratum.

Sed hic locus, non secus ac pleræque scribendi artes, ut sæpe plurimum valuit et ad distinguendam orationem multum contulit, cum res ac causa poscebat, ita, si inepte et insulse usurparetur,

in insulsas et frigidas degeneravit cavillationes.

Ille etiam Tullius noster, nonne aliquid oratorium ex ipsa verborum similitudine effecit, cum his verbis ambiguis simul et gravissimis Catilinam obiurgaret :

Quid enim exspectas ?... An *tabulas novas ?...* Meo beneficio *tabulæ novæ* proferentur, verum *auctionariæ.*
Catilin. II, 8.

Quæ autem gravior et ad movendos animos aptior translatio, quam illa hominis novi, qui se proletariæ gentis oriundum tam amplis verbis profitetur :

Nulli populo romano pro me maiores mei *spoponderunt:* mihi *creditum* est : a me *petere* quod *debeo,* me ipsum appellare *debetis.*
De lege agraria, II, 36.

Non ideo tamen semper iucunda est et urbana facetia ; sed in pingendo nimis exquisita, et in ridendo hebes et aliunde arcessita potest videri ; quam si quis, etiam acutæ naris, qualis fuit Martialis, curiosius captat, putidus evadit, ut hoc loco :

Non te cucullis *asseret* caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle veloque,
Nec *vindicabit* sella sæpius clusa :
Rimas per omnes basiator intrabit.
Mart. *Epigr.* XI, 98.

Quin etiam ipse Plautus insulsus fietet importunus, vanæque eruditionis ostentator : siquidem neque verisimile est, neque naturæ consentaneum, Chari-

num illum, cum domum paternam relicturus extremum salutaret, exclamasse :

> *Usus, fructus*, victus, cultus iam mihi harum ædium
> Interemtust.
>
> *Mercator*, 910.

Iam, quamvis libere eloqui parasito concedatur, non simul et famelici ventris et emunctæ naris esse cuiquam contingere solet, neque risum elicit Ergasili persona adversus reluctantes hospites incredibilem litem instaurantis :

> Nunc barbarica lege certumst *ius meum* omne persequi :
> Qui consilium iniere, quo nos victu et vita prohibeant,
> His *diem dicam*, irrogabo *multam* : ut mihi cœnas decem
> Meo arbitratu dent, quom cara annona sit ; sic egero.
>
> *Captivi*, 426.

Nec concinnior videtur Phædromus, cum, amoris sui in Planesium depingendi causa, in mutuo et proprio inficete iocatur :

> Ea me deperit.
> Ego autem cum illa facere nolo *mutuum*.
> — Quid ita ? — Quia *proprium* facio. Amo pariter [simul.
>
> *Curc.* 47.

Forsan quidem insulsos istius modi iocos iis, quorum gratia edebantur, tunicati popelli spectatoribus perplacuisse fieri potuit. Sed non idcirco eos probandos censeas, nec aliud sequitur nisi suum cuique genti proprium esse facetiarum genus et non omnibus populis idem inesse ingenii acumen.

Quod nemo nescit, et facile suspicabitur, si quis in secundo *De Oratore* libro illa de facetiis capita leget, in quibus, Iulio Cæsare loquente, Tullius plurima ridicula commemorat, quæ ipsi salsa, nobis autem satis frigida videntur. Quot populi, tot sunt risus partes et provinciæ : ut apud nos maritorum miserabile infortunium irridere in consuetudinem vertit et populo est acceptum ; nam apud maiores nostros, commodos homines, ridiculus erat mœchæ uxoris maritus ; ideoque Racinius in *Iphigeniæ* fabula, ad usum Gallorum accommodata, non commisit ut Menelaum induceret. Theseum ipsum, quem humillimas partes in Pradonis fabula agere videmus, utpote cælibem, comædia sibi iure vindicaret. At Romanis patrii sunt ioci iuridici et « sales intra pomaria nati (1). »

Ut res, ita verba : iuridica ergo translatione, quæ apud nos friget, romani homines alliciebantur, movebanturque et plerumque delectabantur. Quod factum fuisse facile intelligas : natura enim et necessitate quadam ad eas res remeare soliti erant in quibus perpetuo versabantur, et ex iis eam quotidianam quasi sportulam petere, qua mens refoveretur.

Nempe a pueris leges liberi condiscunt, « expoliunt, docent literas, iura, leges » (2); tulliana ætate etiam tum Duodecim Tabulas ediscunt. Neque ævo

(1) Juv. *Sat.* IX, 11.
(2) Plaut. *Mostell.* 125.

sequenti alia est exercendæ eorum memoriæ ratio : ut in Petronii satira, cui nomen *Satyricon,* aliquis de plebe inducitur, qui, quamvis filium tonsoriæ arti destinet, iuris aliquid eum gustare a re non alienum ducit et aliquot emit « libra rubricata » ei pervolvenda. Idem puer (nec interest utrum plebeius an patricius sit), postquam adoleverit ætas, frequens in forum ibit et

... mane ad noctem, festo atque profesto

negotia facesset, civesque, hostium loco habitos, astutia et dolis deludere et bonis evertere tentabit : sic enim in illo foro vivitur, quod ut aream depinxit Lucilius, in qua, cum boni malique doli perparva aut nulla sit distinctio, de pecunia et re decertant homines, vincente mendacissimo quoque veteratore. Nec minus acer in describendo foro Petronius his verbis: « Quoscumque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos ; nam aut captantur aut captant (1) ». Nonne etiam, si grammaticis fidem facias, a pecu pecunia dicta est ? Noli igitur mirari si Evandri nepotes, ex pastoribus negotiatores facti, postquam desierunt cogere pecua, pecunias attentius coegerunt. Ne multa in lucro faciendo atroces, negotiis intentos, rei vel triplici usura augendæ avidos, assidue

Per quæ
Crescere res posset, minui *damnosa* libido (2),

(1) *Satyricon,* 116.
(2) Horat. *Epist.* II, 1.

meditantes, hoc unum curantes, minoris emere, quam plurimi vendere, iustisque stipulationibus et certis nominibus debitores firmiter nectere, denique diem qua redeunt aliis tristes, aliis lætæ kalendæ semper animo volventes : tales domi deprehendas illos ceterarum gentium victores, qui terrarum orbem armis et legibus subegerunt, Romanos.

Tali autem morum descriptioni confirmandæ fidem afferunt ea quæ de honestate senserunt Romani. Honestus enim homo, qualem imitandum latini poetæ proposuerunt, sic a Flacco depingitur :

> Non fraudem socio, puerove incogitat ullam
> Pupillo.
>
> Hor. *Epist.* II, 1, 122.

Nec satis est :

> Vir bonus est quis ?
> Qui consulta patrum, qui leges iuraque servat,
> Quo multæ magnæque secantur iudice lites,
> Quo res sponsore et quo causæ teste tenentur.
>
> Hor. *Epist.* I, 16, 40.

Et simili modo apud Iuvenalem vir bonus effingitur :

> Esto bonus miles, *tutor* bonus, *arbiter* idem,
> Integer : ambiguæ si quando citabere *testis*
> Incertæque rei, et...
>
> *Sat.* VIII, 79 sqq.

Licet ergo dicere res iuridicas Romanorum menti lumen, ut sol terris, afferre ; eo magis quod iuridicam facetiam etiam in solem transferunt :

Sol semper heic est usque a mani ad vesperum
Quasi *flagitator* adstat usque ad ostium.

Mostell. 760.

Quomodo ergo scriptores ab hac morum et opinionum universa contagione se integros servare et a turba segregare potuissent ? Quod est enim scriptoris officium ? Nempe mores inspicere et depingere, popularem auram excipere, et ea ponderare quæ, sive a philosophis ad rerum naturam scrutandam aut vitam hominum regendam proponuntur, sive a legum latoribus ad rempublicam moderandam et bona inter cives æquabiliter dispertienda instituuntur : quæ omnia magis ac magis, favente animorum et morum mutatione, primum sapientes viri in medium afferunt, dein tempus ad eventum perducit. Latinus igitur scriptor antiquos mores cum iis adventitiis comparat, qui, crescente mirum in modum imperio romano, ex polita Græcia opulentaque Asia Romam defluxerunt ; perpendit quid novi latino ingenio doctæ intulerint Athenæ, et quanti momenti fuerit ad rigidam veteris reipublicæ compagem dissolvendam æquatum ius inter omnes cives et vetus illa patriciorum et plebeiorum sublato omni inter ordines discrimine, sedata contentio : quarum rerum nullam a iure separari potuisse manifestum est. Hæc illa fuit proposita scriptoribus materies, nec magis ex Pierio, quam ex illo iuris fonte flosculos orationis arcessiverunt.

Nunc si ad vocabula animum advertemus, non

minorem in iis usum iuris fuisse reperiemus, quandoquidem apud Gellium legimus : « In medio rerum et hominum vitam qui colunt, ignorare non oportet verba actionum civilium celebriora (1). » Itaque, quicumque latina lingua docte et ingeniose usi sunt, alii soluto sermone, alii numeris adstricto, hi privatam vitam degentes, illi « agiles, ut ait Flaccus, et mersi civilibus undis », in mediis veteratoribus, causidicis, iudicibus et litigatoribus versati sunt et, seu voluerunt, seu noluerunt, forense eloquium auribus et mente hauserunt, cumque negotiosi populi gratiam captarent, totam artem in hoc posuerunt, ut vocabula ad negotiorum usum inventa, non removerent, sed honestioribus rebus sollerter accommodarent. Ne plura, quilibet latinus scriptor, cum eos, quibuscum rem habet, alloquitur, se in iudicio, circumstante litigatorum turba, adesse persuasum habet, sicut Martialis, epistola e Bilbili scripta, in principio libri duodecimi inserta : « Videor mihi in alieno foro litigare. »

Hinc ergo sequitur Romanos, illustrandæ orationis causa, ab iure audacissimas rerum et verborum translationes et urbanissimos iocos non petere non potuisse. Translationes autem eas in primis prosequebantur, quæ, a Græcis μεταφοραί dictæ, ex similitudine ducuntur, et ideo maxime placent, « quod is qui audit alio ducitur cogitatione, neque

(1) *Noct. Att.* xx, 10.

tamen oberrat, quæ maxima est delectatio (1). » Non obberrant enim Romani quando intra iuris fines versantur, et domi se esse sibi conscii sunt, neque eos alio avocari ulla de causa accidere potest. Tum ioci etiam cur iis placeant facile intelligitur : nempe quia numquam a foro et civilibus institutis mens abest, nec tamen illa facetiis dehonestari existimant, utpote supra contemptum posita et sua maiestate defensa. Tullius ipse, cum et aliis in locis et in oratione pro Murena non intacta ea dimiserit, tamen in oratione pro Balbo non potuit quin exclamaret :

O iura præclara, atque divinitus iam inde a principio romani nominis comparata !

Pro Balbo, 13.

Idem in primo *De Oratore* libro superatas esse omnes philosophorum bibliothecas ait uno libello Duodecim illarum Tabularum quas, Decio imperante, etiam tum in ære insculptas et in publico expositas fuisse sanctus Cyprianus auctor est : ut hoc pro certo haberi possit, tantam iuris civilis apud Romanos admirationem fuisse, ut, sine ullo venerationis damno deridiculum in modum verti potuerint vocabula iuridica, et ius, velut in media triumphi pompa consul, facetiis lacessitum fuerit, non deminutum.

Iam, si illam Romani hominis personam, quam

(1) *De Orat.* III, 40.

multiplicem sese nobis offert, describere volumus, notandum est scriptores latinos, cum rem gravissimam et ante alias sacrosanctam ad aliud converterent, nihil aliud nisi aliquid augustum humili habitu repræsentasse et facetiis iuridicis idem ad delectandum effecisse quod postea iis, quibus heroes per iocum depingebantur, poematibus eorum pronepotes. Italos igitur utroque tempore agnoscas rerum et hominum aspectu novo et non suo spectandorum studiosos, et quibus ea nos quæ de Græcis scripsit Iuvenalis, *nationem comœdam esse* (1), restituere possimus. Nam, ut gravitate et dignitate, ita facetiis et satira ceteras gentes exsuperavere (2), civemque tanta maiestate ornaverunt, ut apud eos civis et homo, cum nimio intervallo separati sint, mire discordes inter se videantur: hinc fons ridiculi perennis apud illos rerum dominos : iidem et fundaverunt ius et satiram instauraverunt.

(1) III, 100.
(2) Cf. Poiret, *Essai sur l'éloquence judiciaire à Rome*, Paris, 1887, 8°. Fere similiter hic de eloquentia concluditur.

VIDI AC PERLEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a d. V Idus Nov.
ann. MDCCCXCVI

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

PICTAVIS. — E TYPIS OUDIN ET C^ie^.